Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Balthasar Wernher von

Io. Balthas. Wernheri, ICti, Potentiss. Polon. Reg. Et Elect. Saxon. A Consiliis Aul. Atque Iustitiae Ord. Et Antecess. Primar. In Academia Vitembergensi, Manuale Pandectarum Quo Ea Quae Inprimis Scitu Necessaria Sunt Et Usum In Foro Praestant, Breviter Exhibentur : Cum Indice Locupletissimo

Vitembergae: Ludovicus, 1727

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819013587

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

~~XXXVIII.~~
~~XV.~~
J. R.
30. C. 13.
1 ~~[illegible]~~ 32. f.
p1 – 427. Ind
p1 – 402. Ind
p1 – 114. Ind.
p1 – 32.
p1 – 48
p1 – 61.
Je – 3271 1–6.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn819013587/phys_0002
DFG

IO. BALTHAS. WERNHERI, ICTI,
POTENTISS. POLON. REG. ET ELECT.
SAXON. A CONSILIIS AVL. ATQVE IVSTITIAE
ORD. ET ANTECESS. PRIMAR. IN ACADEMIA
VITEMBERGENSI,

MANVALE PANDECTARVM

QVO EA
QVAE INPRIMIS SCITV
NECESSARIA SVNT ET VSVM IN
FORO PRAESTANT, BREVITER
EXHIBENTVR.

CVM INDICE LOCVPLETISSIMO.



J. N. Levoka 1732 Tesina Megap.

VITEMBERGAE,
APVD CHRIST. THEOPH. LVDOVICVM.
MDCCXXVII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn819013587/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819013587/phys_0006
DFG

Per-Illustri Excellentissimo-
que Domino,

DN. WOLFF. SIEGFRIED. A KOETTERIZ,

Potentiss. Poloniar. Regis
Consiliario Intimo
ac
VICE-CANCELLARIO,
Summi Provocationum Senatus Præsidi, Supremo Censuum Provincialium Quæstori, Templique Cathedralis Martisburgensis Canonico, &c.

Perpetuam Felicitatem!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819013587/phys_0007
DFG

Per - Illustris Excellentissimeque Domine,

NOndum animo excidit singularis illa humanitas, qua me, PER-ILLVSTRIS DOMINE, nuper excepisti, quum a Potentissimo Rege gravis negotii causa cum aliis quibusdam Jureconsultis evocatus Dresenæ aliquamdiu hærerem, Tuique compellandi occasionem mihi fortuna admoveret. Qua re hoc magis lætabar, quo certius cognitum habebam, quantopere sibi de Tanto Justitiæ Præside gratularetur Saxonia, qui inusitata ingenii judiciique vi non tantum Saxones sui admiratione implevit, sed etiam Exteros passim in se, suum-

ſuumque Nomen, convertit. Nihil auribus do; & ab aſſentantium conſuetudine longiſſime abſum; ſed ingenue fateri oportet, unum omnium ſermonem eſſe, nunquam Judiciorum integritatem ſanctius cultam, nunquam majori cura Rabularum artes detectas, coërcitasque, & ſuum cuivis minori ambage tributum fuiſſe, quam ex eo tempore, quo Tribunalia Saxonica Tuo, Per-Illvstris Domine, Præſidio ſtant ac ſuſtinentur. Quocirca nemini mirum videri debet, quod meos, quos ad excolendum Juris ſtudium confero, labores Tibi cumprimis probari cupiam. Enimvero memini, inter eos, quos mecum habere dignatus es, ſermones Te mentionem *Compendii Juris Lauterbachiani* injeciſſe; de quo cum pro eo, ac par eſt, præclare ſentires, ejus Paraphraſin aliquam perpetuam, omnem verborum vim complexam, magnopere Te deſiderare dicebas. Quo judicio aucto-

ritateque Tua commotus de illius Specimine cogitare cœpi, idemque jam exorsus sum; quod dum paro, interim præsens *Manuale Pandectarum Tibi*, Per-Illvstris Domine, demisse offero; quod & ipsum ad sublevanda tyronum studia aptum, eoque Tibi haud ingratum fore confido. Ita vale, Per-Illvstris Domine, & Pietatemque atque Obsequium meum Gratia Patrocinioque Tuo complectere.

Perillvstris Nominis
TVI

Religiosus Cultor

J. B. WERNHER, D.

Præfatio.

QVi in Pandectis explicandis Compendio Juris Lauterbachiano, quod omnium hactenus applausum meruit, uti, idemque repetitis subinde vicibus interpretari soleo, illud inprimis experiendo didici, nullam majorem Juvenibus hanc viam ingressis difficultatem objici, quam quæ circa repetitionem, labore præsertim longius provecto, occurrit. Plerumque enim fieri solet, ut propter multiplicem rerum varietatem tædium sensim obrepat, quod vel desertores studiorum efficit, vel saltem, remisso discendi ardore, animos frangit ac debilitat. Hoc impedimentum non alia commodiori via removeri posse, existi-

existimavi, quam si, ordine Digestorum servato, potiora cujusque Tituli, quam fieri posset, brevissime colligerem, ac inprimis inutilia multa & ab usu fori aliena resecarem. Quo consilio praesens Manuale Pandectarum *concinnavi, idemque typis exscribi passus sum. Quem laborem cum unice ad Auditorum, qui in meam se disciplinam dant, utilitatem referam, eorumque causa susceperim, non est, cur ejus rationem prolixius reddendam esse, putem.*

Lib. I. Tit. I.

DE

JVSTITIA ET JVRE.

§. 1.

JVrisprudentia definitur ab Ulpiano, quod sit divinarum & humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia. *L. 10. §. 2. d. Just. & Jur. §. 1. I. eod.*

§. 2. Finis ejus est justitia, nempe particularis, quæ est constans & perpetua voluntas suum cuique, scilicet de bonis externis, in societate civili tribuendi. Dividi ea solet in *distributivam*, quæ circa res communes, secundum proportionem geometricam dividendas, versatur, & *commutativam*, quæ circa res singulis civibus proprias, juxta simplicem seu arithmeticam proportionem dividendas, occupatur, eidemque in Con-

tracti-

tractibus, nec non in puniendis delictis regulariter locus est.

§. 3. Jus, scilicet pro lege sumtum, est regula, a superiori præscripta, inferiores ad obsequium obligans. Estque vel divinum, vel humanum: Illud homini per naturam insitum; hoc vero expresse promulgatum.

§. 4. Jus naturale præcipit ea, quæ cum natura hominis sociali & rationali necessarium nexum habent, prohibet autem, quæ necessariam cum ea disconvenientiam involvunt.

§. 5. Consequitur inde, nullam quidem moralitatem intrinsecam abstrahendo ab omni, etiam naturali, lege dari, DEVM tamen, cum propositum ipsi esset, hominem, h. e. animal sociale & rationale, creare, non potuisse non ea præcipere, quæ præcepit, & prohibere ea, quæ vetuit, adeoque ex parte DEI non absolutam, sed hypotheticam quandam necessitatem admittendam esse; sicuti etiam exinde immutabilitas Juris naturalis sua sponte fluit.

§. 6. Jus divinum positivum est vel universale, quod universo generi humano latum; vel particulare, quod solis Judæis latum. Illud rursus est vel morale, vel voluntarium: morale est nihil aliud, quam ipsum Jus naturæ in sacra scriptura repetitum; a quo proinde non objecto, sed tantum ratione modi promulgandi differt.

§. 7. Jus divinum universale voluntarium versatur circa ea, quæ Jure naturali indifferentia sunt,

sunt, universo tamen generi humano vel præcepta, vel prohibita; quo refertur pœna homicidii capitalis, prohibitio Polygamiæ, ut & nuptiarum in linea collaterali. Jus divinum particulare est vel ceremoniale, quod post Christi in carnem adventum abrogatum est, vel forense, quod hodienum recipi arbitrio Legislatoris potest, non majorem tamen vim, quam aliæ leges humanæ, habiturum.

§. 8. Jus humanum dividi solet in jus gentium, quale tamen proprie & in sensu stricto non datur, cum gentes superiorem non habeant; vel civile, quod quisque Legislator in salutem Reipublicæ suæ constituit.

Tit. II.

De ORIGINE JVRIS.

§. 1.

TItuli hujus tres sunt partes, (1) de origine Juris agit; (2) de origine Magistratuum; (3) de successione Prudentum.

§. 2. In statu Regio arbitrio Regum ferebantur Leges, inde regiæ dictæ, quarum exemplum adhuc extat in *L. 2. d. mort. infer.* In statu populari primo Romani per sexaginta annos incerto Jure utebantur: deinde, missis in Græciam viris, leges allatæ sunt, unde Jus XII. Tabularum conflatum, quod auctum deinceps est per inter-

pretationes Prudentum, formulas actionum, leges a populo latas, item Plebiscita, Senatus-Consulta & Magistratuum edicta, nec non Responsa Prudentum.

§. 3. In statu Monarchio accesserunt Constitutiones Principum, quæ triplici Codice, Gregoriano, Hermogeniano & Theodosiano comprehensæ sunt, ex quibus deinde Imperator Justinianus Codicem primo Justinianeum, ac deinceps eo abrogato, Codicem repetitæ prælectionis confici curavit.

§. 4. De duabus reliquis partibus, vid. *L. 2. §. 16. & sequ. h. t.*

Tit. III.

De LEGIBVS, SENATVSCONSVLTIS, ET LONGA CONSVETVDINE.

§. 1.

JVs est vel scriptum, vel non scriptum: illud est, quod expressa Legislatoris voluntate sancitum, idemque dividitur in Jus civile stricte dictum; quod complectitur Leges, Senatusconsulta, Plebiscita, Principum placita, & responsa prudentum; nec non prætorium, quod a Prætoribus introductum.

§. 2. Quamvis vero hodie Jus prætorium non amplius annuam, sed eandem cum Jure civili vim

vim obligandi habeat, ratione essentiæ tamen hodienum ab eo differt, eoque actiones pœnales, quæ ex Edictis Prætorum descendunt, hodie adhuc annales sunt.

§. 3. Jus non scriptum seu consuetudo tacita Principis voluntate per plures subditorum actus inducitur. Requiruntur hic actus ad minimum duo, arg. *L. 12. ff. d. testib.* iidemque publici, nec actu contrario interrupti. Tempus Jure Civili arbitrio Judicis relinquitur; in Saxonia autem est 31. annorum, 6. septimanarum, & 3. dierum. Effectus consuetudinis & autoritas est eadem cum Jure scripto, adeoque posterior legem priorem tollit. Vid *L. 2. C. quæ sit long. consuet.*

§. 4. Lex semel lata semper obligat, donec vel per legem, vel per consuetudinem contrariam abrogetur, adeoque observantia necessaria haud est, adeo, ut ne quidem ab allegante probari debeat, secus ac Schilterus aliique volunt.

Tit. IV.

De

CONSTITVTIONIBVS PRINCIPVM.

§. 1.

COnstitutiones sunt Jura ab Imperatore promulgata. Dividuntur in generales & speciales: generales sunt, rescripta, ad aliorum relatio-

nem emissa; Edicta, proprio motu lata; & decreta, quibus Princeps inter partes litigantes causa cognita pronunciat.

§. 2. Constitutiones speciales alias privilegia dicuntur, suntque Jus singulare contra Juris generalis tenorem alicui concessum. Dividuntur privilegia in primis in personalia & realia: illa intuitu personæ concessa cum ea extinguuntur, quamvis eorum commodum etiam ad heredes transmitti possit, sicut v.gr. heres, etiam majorennis, privilegio restitutionis in integrum ex persona minoris gaudet; *L. 6. d. restit. in integr.* realia sunt, quæ intuitu rei concessa ad quemvis possessorem cum ea transeunt.

§. 3. In genere de privilegiis notandum, quod in præjudicium tertii strictissime interpretanda sint, nec privilegiatus contra æque privilegiatum suo Jure utatur, nisi unus de damno vitando, alter vero de lucro captando certet, v.gr. cum fatale in judicio neglectum est.

Tit. V.
De
STATV HOMINVM.

§. 1.

STatus hominum, ex quo Jus personarum oritur, civilis, est vel libertatis, vel civitatis, vel familiæ.

§. 2.

§. 2. Oriuntur inde actiones præjudiciales, quæ neque reales, neque personales sunt, sed tertium aliquod actionum genus constituunt.

§. 3. Juxta statum naturalem homines sunt vel (1) masculi, vel fœminæ: Hermaphroditi enim sexui prævalenti annumerantur; (2) vel nati, vel nascituri, seu adhuc in utero existentes, qui pro jam natis habentur, quoties de eorum commodo agitur, *L. 7. ff de stat. hom.* modo deinceps vivi & perfecte, nec prodigiosi, nascantur; tertio autem, v. g. matri, regulariter non prosunt, nisi ipsi simul damno afficerentur.

Tit. VI.

De
HIS, QVI SVNT SVI VEL ALIENI JVRIS.

§. 1.

JUxta statum familiæ est quis vel Paterfamilias, vel Filiusfamilias: hic in patria potestate existit, ille sui juris est.

§. 2. Patria potestas, quatenus reverentiam & obsequium liberorum complectitur, ex Jure naturali est, nec minus matri, quam patri competit, quoad effectus civiles autem est Juris civilis. §. *2. I. d. patr. potest.*

§. 3. Causæ constituendæ patriæ potestatis tres sunt: Nuptiæ, legitimatio, & adoptio.

§. 4. Vt vero liberi in patriam potestatem redigantur, requiritur, ut justo tempore nati sint, quale Jure novo etiam alter post nuptias dies est, *L. 11. C. de natural. lib.* Olim erat septimus mensis a tempore nuptiarum, *L. 12. ff. de stat. hom.* quod adhuc hodie attendendum videtur ratione parentum, ut pœnam anticipati concubitus effugiant, ac ne purgatorio quidem propterea gravari possint. Post obitum vel absentiam mariti tempus legitimæ nativitatis est decimus mensis completus; non vero principium undecimi, quamvis id vulgo Doctores velint. *L. 3. §. penult. d. suis & legit. hered.*

§. 5. Secunda causa patriæ potestatis est legitimatio, quæ est actus, quo liberi illegitimi fiunt legitimi: fitque vel per subsequens matrimonium, vel per oblationem curiæ, vel per rescriptum Principis. Secundus modus ab usu recessit; primo modo legitimati æquiparantur quoad omnia liberis legitime natis, etiam quoad successionem in feudis, scilicet juxta mores hodiernos, non autem Jure feudali, *2. F. 26. §. Naturales.* Per rescriptum Principis vero legitimati tunc demum succedunt Patri, si vel tempore legitimationis nulli liberi legitime nati adfuerint, vel certe legitimatio petente Patre ad effectum successionis etiam expresse facta sit. In feudis plane non succedunt, ne quidem moribus hodiernis.

§. 6. Patria potestas consistit hodie in moderata

rata castigatione, nec non jure patris circa bona filiifamilias. Vid. §. 1. I. *per quas pers. cuiq. acqu.* Habetur autem pater cum filio pro una persona, unde nulla civilis obligatio inter eos esse potest, §. 4. I. d. *inutil. stip.* quod hodie sublatum non videtur.

Tit. VII.

De ADOPTIONIBVS ET EMANCIPATIONIBVS.

§. 1.

TErtia causa patriæ potestatis est adoptio, quæ est actus, quo quis in locum filii vel nepotis assumitur, qui natura talis non est. Dividitur in arrogationem, & adoptionem in specie sic dictam.

§ 2. Arrogatio est, qua persona sui juris, Principis rescripto interveniente, in locum filii assumitur. Adoptio in specie sic dicta vero est, qua filiusfamilias Magistratus autoritate interveniente adoptatur: eaque rursus est vel plena, seu perfecta, vel minus plena, seu imperfecta: illa dicitur, quæ fit ab Ascendente, v. gr. avo materno, & operatur patriam potestatem, hæc vero est, quæ fit ab extraneo, nec patriam potestatem operatur, sed tantum jus ab intestato succedendi tribuit, cujus generis est etiam ea adoptio, quæ fit a fœmina, cum patriæ potestatis incapax sit. §. 10. I. d. *adopt.*

§. 3. Adoptioni, quæ rara esse solet, affinis est Unio prolium, qua liberi diversi matrimonii, auditis omnibus, quorum interest, causa cognita, inter se, præsertim quoad jus succedendi, uniuntur.

§. 4. Solvitur patria potestas (1) morte patris avique, modo hoc casu nepotes in potestatem patris sui non recidant; (2) adoptione plena; (3) dignitate, quæ a curia liberat; *Nov. 81. c. 2.* (4) emancipatione tam formali, quæ coram Magistratu fit; quam virtuali, quæ hodie fieri intelligitur in filia per matrimonium, in filio autem per institutam peculiarem œconomiam.

Tit. VIII.

De RERVM DIVISIONE ET QVALITATE.

§. 1.

JUs rerum est vel in re, vel ad rem: illud rem ipsam afficit, & actionem realem producit, ejusdemque species quinque vulgo numerantur: Dominium, Servitus, Hereditas, Pignus & Possessio. Hoc vero, scilicet Jus ad rem dicitur, quo quis personam sibi obligatam habet ad aliquid dandum, faciendum, vel præstandum, indeque actiones personales oriuntur.

§. 2. Res in genere sunt vel divini, vel humani Juris: illius generis sunt res sacræ, religiosæ, & sanctæ.

§. 3.

§. 3. Sacræ res ab ecclesiasticis in hoc differunt, quod illæ immediate cultui divino inserviant; hæ verò non nisi mediate: deinde res sacræ non nisi in casu necessitatis & pietatis alienari possunt; Ecclesiasticæ verò res etiam in casu utilitatis alienari & permutari queunt.

§. 4. Res humani Juris sunt vel communes, vel publicæ, vel universitatis, vel in patrimonio singulorum.

§. 5. Præterea dividuntur res in corporales, quæ manu tangi possunt, eædemque rursus sunt vel mobiles, vel immobiles; & incorporales, quales sunt Jura & actiones.

Lib. II. Tit. I.

De JVRISDICTIONE.

§. 1.

JVrisdictio est publica juris dicendi potestas. Dividitur in civilem, & criminalem: hæc in causis criminalibus & gravioribus delictis coërcendis exercetur; illa, scilicet civilis, est (1) vel voluntaria, vel contentiosa.

§. 2. Voluntaria Jurisdictio est, quæ in volentes & consentientes exercetur: ubi notandum, quod hæc extra territorium exerceri possit, *L. 2. ff. d. Offic. Proconf.* & a quocunque Judice, etiam incompetente, quo pertinet v. gr. insinuatio testamentorum & donationum. Contentiosa au-

autem in invitos etiam & litigantes exercetur, eademque semper adstricta est ad terminos territorii.

§. 3. Secundo dividitur in extraordinariam, & ordinariam: illa non Jure Magistratus, sed ex speciali legis concessione competit; hæc vero ordinario Magistratus Jure, cujus tres partes sunt, (1) notio, (2) Jurisdictio in specie sic dicta, (3) mixtum Imperium.

§. 4. Porro Jurisdictio est vel mandata, vel prorogata. Prorogatio autem fit vel expresse, vel tacite, scilicet litem contestando omissa exceptione fori; neque prorogationes hodie abrogatæ sunt. Illi tamen Magistratus, qui patrimonialem Jurisdictionem habent, subditos alibi litigantes mandatis pœnalibus revocare possunt ob Interesse, quod habent.

§. 5. Ad tuendam Jurisdictionem comparata est actio de albo corrupto, quæ datur ad pœnam 50. aureorum cuivis de populo, hodie ad pœnam arbitrariam.

Tit. II.

QVOD QVISQVE JVRIS IN ALTERVM STATVERIT. &c.

SVmma hujus tituli eo redit, quod Jus iniquum a parte impetratum, aut a Magistratu statutum in ipsum retorqueri possit.

Tit.

Tit. III.

SI QVIS JVS DICENTI NON OBTEMPERAVERIT.

QVi extremum Jurisdictionis, h. e. executionem impedit, convenitur actione pœnali ad pœnam pecuniariam arbitrariam, cujus usus hodie rarus est.

Tit. IV.

De IN JVS VOCANDO.

§. 1.

CVm olim privata in Jus vocatio in usu fuerit, non quasvis personas indistincte vocare licuit, sed interdum venia impetranda erat, v. gr. in parentibus & patronis, qui contra feciſſet, ad pœnam 50. aureorum conveniebatur; quæ actio hodie usum non habet.

§. 2. Cæterum citatio hodie est vel verbalis, vel realis: item vel immediata, vel mediata; dilatoria, vel peremtoria; generalis, vel specialis.

§. 3. Citatio complecti debet nomen Judicis, actoris & rei, causam, ob quam quis citatur, & legitimum terminum. Insinuatio ejus per nuncium juratum fieri consuevit.

Tit. V.

SI QVIS IN JVS VOCATVS. &c.

Si

SI Judicis incompetentia notoria sit, citatus comparere non tenetur, sin dubia, comparendum, & exceptio fori incompetentis opponenda, alias propter contumaciam ad mulctam condemnatur. Hodie sub pœna confessi & convicti contumax citatur.

Tit. VI.

IN JVS VOCATI, VT EANT. &c.

CItatus vel comparere, vel de judicio sistendo satisdare debet, & pro necessariis quidem personis quilibet fidejussor sub pœna 50. aureorum admittendus.

Tit. VII.

NE QVIS EVM, QVI IN JVS VOCATVS, VI EXIMAT.

QVi per vim alterum judicio eximit, tenetur actione pœnali ad id, quanti res in judicium deducta ab actore æstimata est.

Tit. VIII.

QVI SATISDARE COGVNTVR. &c.

§. 1.

CAutio est satisfactio, per quam adversarium securum reddimus; estque vel fidejussoria, seu

seu satisdatio, vel pignoratitia, vel juratoria, vel nude promissoria.

§. 2. Cautio judicio sisti regulariter per fidejussores præstanda est, a qua tamen immunes sunt possessores immobilium. *L. 15. §. 1. h. t.*

§. 3. Reus hodie regulariter nullam Cautionem præstat, nisi de fuga sit suspectus, actor autem cavet de refundendis expensis, & in Saxonia etiam de reconventione.

Tit. IX.

SI EX NOXALI CAVSA AGATVR, QVEMADMODVM CAVEATVR.

DOminus, actione noxali conventus, cavere debet, quod servum in eodem statu exhibere velit, nec eum alienare, donec judicium accipiatur.

Tit. X.

DE EO, PER QVEM FACTVM ERIT, QVO MINVS QVIS JVDICIO SISTAT.

SI quis impediat dolose citatum, quo minus in judicio se sistat, competit actori actio ad id, quod interest, qua hodie amplius opus esse non

non videtur, cum per solam citationem præscriptio interrumpatur.

Tit. XI.

SI QVIS CAVTIONIBVS, IN JVDICIO SISTENDI CAVSA FACTIS, NON OBTEMPERAVERIT.

QVodsi præstita Cautione in judicio se quis non sistat, datur contra ipsum & fidejussores actio ad exigendam pœnam promissam, vel ad Interesse, nisi reus legitima impedimenta probare possit.

Tit. XII.

De FERIIS ET DILATIONIBVS, ET DIVERSIS TEMPORIBVS.

§. 1.

FEriæ sunt vel divinæ, vel humanæ. In feriis divinis judicia quiescere debent, imo & in humanis regulariter, possunt tamen partes feriis necessariis renunciare.

§. 2. De Dilationibus notandum, quod petendæ sint, antequam terminus penitus sit elapsus, & in Saxonia quidem in probatione præter terminum legalem adhuc duæ a Judice concedi

cedi possunt, tertia vero non aliter, quam causa cognita, & cum solennitate legali.

Tit. XIII.
De
EDENDO.
§. 1.

EDitio actionis nihil aliud est, quam simplex ejus designatio, quæ hodie in supplicatione pro impetrandis processibus fieri solet; conjungitur cum ea libellus, qui comprehendere debet (1) nomen Judicis, actoris & rei, (2) causam petendi, (3) petitum seu conclusionem.

§. 2. Exhiberi etiam interdum debent instrumenta seu documenta, & quidem actor regulariter eadem reo edere tenetur, non reus actori, nisi vel ejus propria sint, vel utrique communia.

Tit. XIV.
De
PACTIS.
§. 1.

PActum est in genere duorum pluriumve in idem placitum consensus. Dividitur in nudum, ex quo Jure Romano nulla, hodie vero condictio ex moribus oritur; & non nudum, quod in lato sensu complectitur Contractum, pactum legitimum & adjectum.

§. 2. Contractus ex se & sua natura actionem

civilem parit, pactum legitimum propter specialem Legis confirmationem, efficaciter obligat; indeque condictionem ex lege parit; denique pactum adjectum eandem actionem cum ipso contractu, cui adjectum est, producit.

§. 3. Pacta ineuntur vel pure, vel in diem, vel sub conditione; quæ vel potestativa, vel casualis, vel mixta est.

Tit. XV.

De TRANSACTIONIBVS.

§. 1.

TRansactio est rei dubiæ non gratuita decisio. Interpretanda est semper stricte, & producit actionem ex illo negotio, v.gr. pacto, aut contractu innominato, quo mediante inita est.

§. 2. Infirmatur transactio ob errorem, dolum, item ob falsa instrumenta, ex quibus inita, non vero ob enormen læsionem, quod tamen in Saxonia secus est. Vid. *P. 2. Const. 34.*

Lib. III. Tit. I.

De POSTVLANDO.

§. 1.

QVi pro aliis postulant, Advocati vocantur, ac differunt a procuratoribus, quippe qui mandato instructi principalium suorum personam

nam repræsentant, & juris etiam imperiti esse queunt.

§. 2. Arcentur ab hoc munere minores XVII. annis, item fœminæ, cœci & infames.

§. 3. Si Advocatus errorem commiserit, parti præsenti nocet, si intra triduum non contradixerit, *t. t. C. d. Error. Adv.*

§. 4. Si Advocatus cognitis fundamentis unius partis ad alteram transeat, in crimen Prævaricationis incidit, & præter restitutionem damni etiam extra ordinem punitur, & ipsa causa principalis ex integro tractatur. *L. 1. C. de Advoc.*

§. 5. Salarium ab Advocato petitur actione ex stipulatu, vel nobilis officii judicis imploratione, imo & jus retentionis ipsi circa Acta competit. arg. *L. 25. ff. de Procur.*

Tit. II.

De HIS, QVI NOTANTVR INFAMIA.

§. 1.

INfamia est macula ex turpi facto contracta, existimationem lædens. Dividitur in infamiam juris, & facti. Ad illam requiritur Legis notatio, hæc vero permittente tantum Lege apud Viros graves ob turpe factum inuritur.

§. 2. Infamia juris proficiscitur a notatione Legis vel immediate, v. gr. in deprehensis in adulterio,

contrahentibus bina sponsalia; vid. *L. 2. ff. h. t.* vel mediate, seu per sententiam Judicis, quod fit in reis omnium criminum publicorum, quæ immediate notata non sunt, item in iis, qui pro socio, tutelæ, mandati & depositi actione directa propter dolum, in sententia expressum, condemnati sunt.

§. 3. Infamiæ affinis est levis notæ macula, quæ sine turpi facto, vel ex sordido vitæ genere vel ex illegitima nativitate venit.

§. 4. Aboletur infamia per restitutionem in integrum, sive fiat ex capite justitiæ, sive gratiæ.

Tit. III.
De
PROCVRATORIBVS ET DEFENSORIBVS.

§. 1.

PRocurator est, qui mandato alterius negotia administrat, estque vel judicialis, vel extrajudicialis: uterque rursus est vel generalis, vel specialis. Clausula cum libera, mandato generali adjecta, nullum effectum habet, nam & *Cap. 4. d. Procur. in 6.* ab usu hodierno, præsertim in foro Saxonico, recessit.

§. 2. Debet autem quisque, sive actoris sive rei nomine, in judicio comparere velit, mandato instructus esse; nisi sit consors litis, aut persona conjuncta, sive in linea recta, sive in collaterali, & quidem Jure Civili ad secundum gradum,

dum, *L. 38. pr. h. t.* in Saxonia vero usque ad tertium gradum. Vid. *Ord. Proc. Sax. Tit.* Von der Vollmacht. Inter affines Jure Civili idem juris est, in Saxonia vero tantum in linea affinitatis recta cautioni rati locus est.

§. 3. Si quid Procurator neglexerit, nocet hoc Domino, neque is regulariter in integrum restituitur, sed tum demum, si is solvendo non existat, in subsidium ex clausula generali Prætoris.

§. 4. Procurator contra Dominum habet actionem mandati contrariam ad indemnitatem; Domino vero competit directa ad mandatum fideliter exequendum.

Tit. IV.

QVOD CVJVSCVNQVE VNIVERSITATIS NOMINE VEL CONTRA EAM AGATVR.

§. 1.

VNiversitates in judicio non aliter comparere possunt, quam per Syndicum legitime constitutum, in cujus constitutione ad minimum duæ tertiæ universitatis partes, omnibus tamen vocatis, præsentes esse debent.

§. 2. Si ipse Syndicus comparere non possit in judicio, constituit actorem, qui personam suam mediante actorio & Syndicatus instrumento legitimare debet.

Tit. V.

De NEGOTIIS GESTIS.

§. 1.

NEgotiorum gestio est quasi contractus, quo quis negotia alterius ignorantis sine mandato gerit.

§. 2. Obligatur inde principaliter & directo negotiorum gestor, qui hinc actione directa negotiorum gestorum tenetur, alter vero, scilicet Dominus, obligatur tantum per accidens ex postfacto, teneturque actione negotiorum gestorum contraria.

Tit. VI.

De CALVMNIATORIBVS.

§. 1.

CAlumniator est, qui pecuniam accepit, ut calumniæ causa alicui litem moveat.

§. 2. Oritur inde actio de calumniatoribus, quæ datur illi, cujus causa pecunia accepta est, intrà annum in quadruplum, post annum vero in simplum; atque hæc actio hodie abrogata non est, præsertim cum numerus calumniatorum eorumque malitia non imminuta sit, sed creverit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819013587/phys_0034
DFG

Lib. IV. Tit. I.

De
IN INTEGRVM RESTITVTIONE.

§. 1.

Restitutio in integrum nihil aliud est, quam reductio in pristinum statum, estque vel civilis, quæ durat 30. annos, ejusque exemplum est in *L. 2. C. de Rescind. vend.* vel Prætoria, de qua h. t.

§. 2. Restitutio hæc Prætoria est remedium extraordinarium & subsidiarium, cui proinde locus non est, quamdiu aliud remedium ordinarium datur, *L. 16. pr. ff. d. minor.* nisi forte restitutio pinguior sit, vel remedium ordinarium non contra adversarium, sed tertium competat; sic v.g. minor, in contractu læsus, restitutionem petere potest, quamvis eidem actio tutelæ adversus tutorem competat; habet enim electionem, *L. 3. C. Si tut. vel curat. interv.* quæ electio tamen in præscriptione judiciali, seu neglectu fatalium cessat, ad conservandam judiciorum integritatem, *L. 13. §. ult. C. de Jud.* quamvis Legem hanc saluberrimam praxis negligere soleat.

§. 3. Causæ restitutionis sunt: metus, dolus, minorennis ætas, status mutatio, alienatio judicii mutandi causa, & interdum error.

§. 4. Restitutio in judicium deducitur vel per

modum actionis, vel per modum exceptionis, aut aliquando per modum replicæ.

§. 5. Postulata restitutione in integrum, regulariter omnia in pristino statu manere, nec executio fieri debet, quod tamen fallit, si restitutio in integrum sit altioris indaginis, & adversarius cautionem de omnibus in pristinum statum, si forte succubuerit, restituendis, præstet. *Capit. Suscitata. X. h. t.*

§. 6. Si impetrata sit in integrum restitutio, tantum reparatur, quantum per læsionem ablatum est.

Tit. II.
QVOD METVS CAVSA GESTVM ERIT.

§. 1.

SI quis vi metuque compulsus aliquid gesserit, unde læsus est, habet restitutionem in integrum, quæ vel per exceptionem, vel per actionem quod metus causa urgeri potest.

§. 2. Datur hæc actio, quod metus causa ad quadruplum, si res ad arbitrium Judicis restituta non sit, neque hodie abrogata est, & superiori anno 1710. cum casus evenisset, condemnatio in quadruplum ab Ordine Vitembergensi facta est.

Tit. III.
De DOLO MALO.

§. 1.

§. 1.

Dolus malus est fraudulosa machinatio, qua aliud agitur, aliud simulatur, alterius decipiendi causa.

§. 2. Distinguendum vero est, an dolus causam dederit contractui, an vero tantum in eundem inciderit: priori casu contractus, si bonæ fidei sit, ipse jure nullus est; sin vero stricti juris, non est nullus, sed restitutio in integrum per institutam actionem de dolo aut exceptionem doli urgeri potest, quod ratione contractuum stricti juris etiam quoad dolum incidentem juris est. In bonæ fidei contractibus autem dolus incidens, vel actione ex ipso contractu, vel exceptione purgatur.

§. 3. Actio de dolo est famosa, indeque subsidiaria, eidemque biennio præscribitur, *L. ult. C. h. t.* post lapsum biennii vero datur adhuc actio in factum, quæ perpetua est, eademque actio in factum contra illas etiam personas locum habet, quæ ob reverentiam ipsis debitam actione de dolo conveniri non possunt.

Tit. IV.

DE MINORIBVS VIGINTI QVINQVE ANNIS.

§. 1.

Tertia causa restitutionis est ætas, ratione omnium, qui ante majorennitatem contrahen-

hentes autoritate tutorum, vel consensu curatorum læsi sunt.

§. 2. Sufficit autem qualiscunque læsio, neque, ut ultra dimidium sit, requiritur; arg. *L. 1. h. t.* si vero læsio plane nulla probari possit, vel ea exigui momenti sit, restitutio denegatur.

§. 3. Restitutio autem minoris prodest etiam ejus socio, seu consorti litis, quoties causa individua est, *L. 10. C. quemadm. servit. amitt.* non vero in causa dividua. *L. un. C. si in commun.* In foro tamen Saxonico fatalia indistincte pro causis individuis haberi solent, ut hinc ibi restitutio minoris adversus lapsum fatalis semper socio majorennî prosit.

§. 4. Denegatur restitutio in integrum ex capite ætatis (1) contra venditionem bonorum sub hasta, ob debita fiscalia; (2) contra solutionem, minori ex decreto Judicis factam; (3) libertatem, *t. t. C. si adverf. libert.* (4) venditionem sui ipsius; (5) matrimonium; (6) omissam injuriarum actionem; (7) delictum dolosum, contra temerariam tamen delicti confessionem restitutio peti potest.

§. 5. Excludit restitutionem minoris (1) ejus dolus; (2) ratihabitio, in majorenni ætate facta; (3) præscriptio quadriennii, currentis a tempore majorennitatis.

§. 6. Exemplo minorum restitutio in integrum datur etiam Ecclesiæ, aliisve piis locis, & Universitatibus omnibus, intra quadriennium, a tempore læsionis computandum. *Tit.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819013587/phys_0038
DFG

Tit. V.

De CAPITE MINVTIS.

HVjus restitutionis hodie nullus est usus.

Tit. VI.

EX QVIBVS CAVSIS MAJORES VIGINTI QVINQVE ANNIS IN INTEGRVM RESTITVVNTVR.

§. 1.

MAjores regulariter non restituuntur in integrum, nisi propter absentiam, aut aliam justam causam.

§. 2. Jure novo præsens contra absentem non amplius videtur beneficium restitutionis in integrum habere, cum ordinarium eidem remedium competat, ut nempe per protestationem & libellum ad ædes adversarii missum, præscriptionem interrumpat, *L. 2. C. de annal. except.* quo si usus non sit, sibi hoc imputare debet.

§. 3. Clausula generalis Prætoria: *Si qua alia mihi justa causa videtur*, non laxe nimis accipienda, sed ad causas prægnantes restringenda est, qualis non est rusticitas, neque sexus fœmininus, excepta causa dotis & illatorum in Saxonia, per *Dec. Elect. 4.*

Tit.

Tit. VII.

De ALIENATIONE JVDICII MVTANDI CAVSA FACTA.

§. 1.

SI quis dolose rem possessam alienet, animo judicium mutandi, & conditionem adversarii deteriorem reddendi, datur restitutio in integrum, eademque in judicium deducitur per modum actionis in factum, quæ adversus alienantem ad omne Interesse, non tamen ad alienationem rescindendam datur.

§. 2. Si is, qui rem alienavit, eandem recipit, non tenetur, cum alterius non interfit.

Tit. VIII.

De RECEPTIS, QVI ARBITRIVM RECEPERVNT, VT SENTENTIAM DICANT.

§. 1.

ARbitri hoc loco sunt, qui conventione partium, quæ compromissum dicitur, eliguntur ad controversias secundum judiciorum ordinem cognoscendas ac definiendas. Est vero tale compromissum semper stricti juris, indeque, quantum fieri potest coarctandum.

§. 2. Sententia arbitri, quæ laudum appellatur, stare debent partes, earumque heredes, propter

pter vim compressi, neque eadem vel appellatione; *L. 1. C. h. t.* vel reductioni ad arbitrium boni viri obnoxia est, quamvis iniqua sit, *L. 27. §. 2. h. t.* nisi forte arbiter ex gratia vel inimicitia laudum pronunciaverit, aut hoc turpe quid contineat.

§. 3. Moribus hodiernis coram arbitris hujusmodi raro controversiæ ventilantur, neque tamen id abrogatum est; frequentiora autem sunt compromissa partium coram judice litigantium super modo procedendi, & inprimis coarctandis fatalibus, quæ si per Procuratores ineantur, hos speciali mandato instructos esse oportet.

§. 4. Ab arbitrio differt simplex arbitrator, ein Schiedsmann, quippe qui ad ordinem judiciorum observandum non est adstrictus, sed ex æquo & bono amicabilem compositionem inter litigantes tentat.

Tit. IX.

NAVTÆ, CAVPONES, STABVLARII, VT RECEPTA RESTITVANT.

§. 1.

COntra Nautas, Caupones, & Stabularios duplex actio in jure prodita est, una de receptis, altera in factum Prætoria.

§. 2. Actio de receptis ex quasi contractu oritur, qui eo ipso iniri intelligitur, dum quis navim, cauponam vel stabulum quotidiani quæstus

ſtus gratia exercet, & res ſive per ſe, ſive per alium recipit, nec intereſt, gratis, an pro mercede receptio fiat.

§. 3. Datur hæc actio ad repetendas res illatas, aut ſi perierint, vel deterioratæ ſint, ad earum æſtimationem, ac damni dati refuſionem.

§. 4. Neque vero in hac actione attenditur, utrum exercitoris culpa damnum contigerit nec ne; tenetur enim ex quaſi contractu ſimpliciter, adeo, ut etiam hoſpitum factum præſtare debeat, *L. 1. §. ult. h. t.* Caſus fatalis tamen, ſi ab eo probari poſſit, eundem liberat. *L. 3. in fin. h. t. junct. l. 2. C. de Naufrag.*

§. 5. Altera actio in factum Prætoria tunc locum habet, quando furtum, vel damnum ab illis factum eſt, qui in navi, caupona vel ſtabulo habitandi, vel operarum præſtandarum gratia ſunt, eademque actio ad duplum competit.

§. 6. Fundamentum hujus actionis pœnalis eſt quaſi delictum Exercitoris, qui eorum, quorum opera utitur, quosque habitandi cauſa in cauponam recipit, fidem explorare debet, §. *ult. I. de Oblig. quæ quaſi ex delict. naſc.* Quod ſi ipſe exercitor furtum fecerit, aut damnum dederit, ex vero delicto actione furti, aut Legis Aquiliæ tenetur *cit. §. ult.*

§. 7. Ceſſat actio tam de recepto, quam in factum pœnalis (1) ſi Exercitor prædixerit, ſe nihil præſtiturum, & hoſpites ſive expreſſe, ſive tacite conſenſerint. Secus enim eſt, ſi contradicant, eosdem-

osdemque exercitor retineat. (2) Si ipse hospes in culpa sit; hoc solo tamen exercitor non liberatur, quod claves cubiculi hospiti dederit, si traditio simpliciter & sine protestatione facta sit.

Lib. V. Tit. I.

De JUDICIIS, ET UBI QUISQUE AGERE VEL CONVENIRI DEBEAT.

§. 1.

JUdicium est hoc loco legitima causæ inter litigantes coram Judice instituta tractatio.

§. 2. Estque (1) vel publicum, vel privatum; (2) Ecclesiasticum, vel seculare; (3) reale, vel personale; (4) petitorium, vel possessorium; hocque rursus vel ordinarium, vel summarium, seu summariissimum; (5) universale, generale, vel singulare; (6) ordinarium, vel extraordinarium, seu summarium, ubi notes regulam: Quod omnis causa regulariter sit ordinaria; summaria vero, si adsit publica necessitas vel utilitas, favor piæ causæ, periculum in mora, aut causæ sint præparatoriæ, v. gr. possessoriæ; item: Quod omnes illæ causæ, quæ olim coram Prætore ventilatæ sunt, hodienum sint summariæ. (6) Civile, vel criminale, idque Jure Civili omne illud est, quod ad publicum interesse, seu vindictam tendit. In sen-

ſenſu Juris Saxonici autem illud tantum, quod corpus affligit. (7) Præparatorium, vel principale.

§. 3. Conſtituitur judicium per litis conteſtationem, quæ eſt judicii ſuſcepti utrinque facta profeſſio; vulgo tamen pro ſola reſponſione rei ad libellum accipitur.

§. 4. In omni vero litis conteſtatione ſubeſſe intelligitur quaſi contractus, *L. 3. §. 11. ff. d. pecul.* & veluti novatio quædam legalis. *L. 11. §. 1. d. novation.* cujus effectus eſt, ut actiones, quæ ſua natura ad heredes non tranſeunt, v. gr. ex delicto, fiant ad hæredes tranſitoriæ.

§. 5. Litis Conteſtatio (1) vel generalis eſt, quæ fieri ſolet per verba: Nego narrata, prout narrantur, vel ſpecialis, quæ fit ad ſingula libelli capita, eaque hodie, inprimis in foro Saxonico, neceſſaria eſt. (2) Negativa, vel affirmativa; (3) pura, vel eventualis (4) vera vel quaſi, (5) ſolennis, vel minus ſolennis.

§. 6. Perſonæ principales judicii ſunt actor, reus & Judex.

§. 7. De actore notandum, quod regulariter nemo ad agendum cogatur. *L. un. C. Ut nem. invit. ag. vel accuſ. cog.* Exceptio eſt (1) in diffamante; *L. diffamari. 5. C. de Ingen. man.* (2) in eo, qui ad agendum contra tertium obligatus eſt; (3) in provocato ex *L. Si contendat. 29. ff. de Fidejuſſ.* quamvis ex hac Lege non tam ad agendum, quam ad replicandum quis provocetur.

§. 9.

§. 9. Judex est persona ad lites decidendas, publica autoritate constituta. Debet autem Judex esse competens, ubi notanda regula: Quod actor sequatur forum rei. *L. 5. C. h. t.*

§. 10. Sortitur vero reus quadruplex in primis forum; (1) ratione domicilii; (2) rei sitæ; (3) contractus; (4) delicti.

§. 11. Domicilium ibi esse intelligitur, ubi quis habitat, sedemque fortunarum suarum cum uxore liberisque collocavit, *L. 203. d. V. S.* eodemque foro gaudent etiam uxor & liberi, licet alibi degentes: *L. 6. §. 1. ad Municip.* nisi forte alio in loco semet instruxerint. *L. 3. & seq. ff. eod.* Quod in uxore tum demum procedit, si a marito quoad thorum & mensam separata sit, vel ejus consensu alio in loco tabernam habeat, & mercaturam exerceat.

§. 12. In genere reus forum sortitur, vel ex jure communi, vel ex jure singulari. Jure communi vel ex propria, vel alterius persona: Ex propria persona in genere in omnibus causis reus conveniri potest in loco domicilii.

§. 13. Domicilium vel est commune, quod olim erat Roma, ejusque hodie nullus usus, vel proprium; hoc rursus est vel naturale, sive originis, ubi pater legitimus civis est, idemque jure Civili est immutabile; hodie autem, si de translatione domicilii constet, non attenditur, vel accidentale, seu habitationis.

§. 14. Domicilium hoc accidentale est vel ne-

ceſſarium, v. gr. Uxoris, etiam poſt mortem mariti, donec ad ſecunda vota tranſeat, vel voluntarium, quod duobus in locis eſſe poteſt.

§. 15. Hoc domicilii forum generale eſt, adeoque in omnibus actionibus locum habet, excepto caſu, quo adminiſtrator ad rationes reddendas convenitur. Vid. *L. 1. C. 1. ubi d. ratioc.*

§. 16. In ſpecie vero reus forum ſortitur (1) in loco contractus, ubi ſcilicet præſtatio ſeu ſolutio facienda eſt. *L. 21. de Oblig. & act.* Quod ſi peculiaris locus ſolutioni haud deſtinatus ſit, ibi intelligitur locus contractus eſſe, ubi conventio perfecte celebrata. Atque in hoc foro actio ex contractu Jure Civili inſtitui poteſt, ſive reus in eo loco reperiatur, ſive non. arg. *L. 19. §. 1. de Judic.* Jure Canonico & moribus non aliter, quam ſi præſenti Citatio inſinuata fuerit, adeoque abſens invitus comparere non tenetur. *Cap. 1. de for. compet. in 6.* niſi quod miſſio in poſſeſſionem bonorum, quæ forte ibi habet, ab actore peti poſſit.

§. 17. Ceſſat competentia hujus fori (1) ſi aliud expreſſe actum, (2) ſi quis cum Advena ſtatim diſceſſuro, fide de pretio habita, contraxerit, *L. 1. & 9. §. 2. h. t.* (3) ſi non ad implendum, ſed reſcindendum contractum agatur, arg. *L. 2. C. ubi & ap. quem cogn.*

§. 18. Secundo reus ſortitur forum in loco delicti, & quidem tam conſummati, quam inchoati quoad criminalem perſecutionem, conſum-

summati vero tantum quoad actiones civiles, *L. 1. C. ub. de Crimin.*

§. 19. Locus hic delicti forum competens facit, sive delinquens præsens sit, sive absens, jure scilicet Civili; nam hodie remissiones reorum non necessitatis, sed urbanitatis sunt.

§. 20. Tertio reus forum sortitur in loco rei sitæ, qualiscunque illa fuerit, ratione actionum realium, non vero personalium, nisi sint in rem scriptæ. *L. ult. C. Ubi in rem act.*

§. 21. Quarto competentia fori resultat ex connexitate causarum: sic v. gr. petitorium ibi ventilandum, ubi possessorium. *L. 10. C. h. t.*

§. 22. Quinto fori competentia venit ex prorogatione jurisdictionis, sive expresse facta, sive tacite; si quis omissa exceptione fori incompetentis litem contestetur.

§. 23. Ex alterius persona reus sortitur forum, si conveniatur sub qualitate heredis, qui omnes actiones contra defunctum radicatas, licet eo vivo nondum in judicium deductas, suscipere tenetur in foro defuncti, quamvis absens sit, *L. 19. pr. h. t.* aut foro privilegiato gaudeat, *cit. leg.* si jam acceptum a defuncto judicium fuerit, etiam instantia judicialis ad heredem transit. *L. 34. h. t.*

§. 24. Jure singulari seu ex privilegio forum competens sit (1) ratione actoris in casu *L. un. C. quand. Imp. inter pupill. & vid.* cum miserabilis persona est; (2) rei, quale forum privilegiatum habent Clerici coram Consistorio, Profes-

sores cum sua familia, & Studiosi coram Rectore; *Auth. Habita. C. ne fil. pro Pat.* (3) ratione causæ, puta si sit Ecclesiastica, quæ coram Consistorio, aut feudalis, quæ coram curia feudali ventilatur.

§. 25. Officium Judicis est vel nobile, quod speciali actioni non servit, vel mercenarium, quod institutæ actionis naturam stricte sequitur. Partes officii Judicis consistunt in cognitione causæ, ejusdemque dijudicatione secundum Leges. *pr. I. de offic. jud.*

§. 26. Personæ minus principales judicii sunt, quæ abesse quidem possunt, sed commoditatis gratia plerumque adesse solent, & accedunt vel Judici, ut Assessores, Apparitores, vel litigantibus, ut Advocati, Procuratores, testes.

§. 27. Causæ, quæ in judicio ventilantur, varii generis sunt, Ecclesiasticæ & seculares, possessoriæ & petitoriæ, præjudiciales & principales, criminales & civiles. In concursu earum præferri solent præjudiciales, criminales & possessoriæ.

§. 28. Effectus judicii finiti seu peracti est res judicata, quam sequitur executio; inchoati autem per litis contestationem, quod actiones tunc fiant in heredes transitoriæ, licet sint ex delicto, & temporales fiant perpetuæ, hæ autem ad 40. annos ab ultimo actu judiciali computandos, extendantur. *L. 1. §. 1. C. de annal. except. L. ult. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.*

Tit. II.

De INOFFICIOSO TESTAMENTO.

§. 1.

TEstamentum inofficiosum est, in quo personæ, quibus legitima debetur, rite quidem, sed inique sunt exclusæ. *pr. l. de inoffic. testam.*

§. 2. Impugnatur hoc testamentum per querelam inofficiosi, qua rite, sed inique exheredatus petit, ut rescisso testamento hereditas ipsi ab intestato adjudicetur. *cit. pr.*

§. 3 Dicitur autem exheredatio rite facta, quando quis nominatim, causa justa expressa, ab hereditate exclusus est, inique vero, si causa illa in hypothesi non adsit, aut saltem ab herede probari non possit. *Nov. 115. cap. 3.*

§. 4. Causæ exheredationis ratione liberorum sunt quatuordecim, ratione parentum octo, *Nov. 115. cap. 3. seq.* ratione fratrum tres, *Nov. 22. c. 47.* Sub quibus tamen aliæ ejusdem generis ex mente Imperatoris continentur.

§. 5. Quando exclusis fratribus & parentibus honesta persona in testamento instituta est, solis quidem parentibus querela inofficiosi datur, victoria tamen non secus, atque si ab intestato succederetur, fratribus germanis prodest. arg. *L. 6. §. 1. h. t. L. 34. C. eod.*

§. 6. Competit hæc querela parentibus & liberis,

beris, quæcunque demum persona ipsis prælata sit; Fratribus autem non aliter, quam si turpis, aut levis notæ macula laborans persona heres instituta sit. *L. 27. C. h. t.*

§. 7. Non vero pertinet hæc querela ad testamentum militis. *L. 9. L. 24. C. h. t.* nec ad pupillare, sive pupillaris substitutio sit expressa, sive tacita, vid. *L. 4. pr. de Vulg. & pupill. substit. L. 8. §. 5. h. t.* Quod tamen in Saxonia mutatum, cum ibi matris legitimæ per hujusmodi testamentum præjudicari non possit.

§. 8. Testamentum inofficiosum si vel ab ascendente, vel descendente sit conditum, Jure novo tantum quoad heredis institutionem corruit, salvis reliquis ejusdem capitulis. *Nov. 115. c. 3. in fin. & cap. 4. in fin.*

§. 9. Sin succubuerit in hac querela actor, amittit omnia emolumenta, ex testamento sibi debita, eademque fisco vindicantur, nisi forte solennia tantum impugnaverit, seu de jure disputaverit. *L. 24. h. t. L. 5. pr. & §. 1. de His, quæ ut indign.*

§. 10. Cessat querela inofficiosi testamenti (1) propter agnitionem voluntatis, sive expressam sive tacitam; (2) ob præscriptionem quinquennii ab adita hereditate computandi. *L. 8. §. 10. & ult. h. t.* (3) si aliud remedium detur, v. gr. si pars legitima liberis & parentibus titulo institutionis, fratribus vero titulo quocunque, etiam legati, aut fideicommissi, relicta sit. *Nov. 116. c. 3. seq.*

§. 11.

§. 11. Est vero legitima, germ. Pflicht-Theil, nihil aliud, quam portio portionis ab intestato debitæ, quæ certis personis, Lege ita disponente, necessario relinquenda est.

§. 12. Debetur legitima Jure Naturali non aliter, quam quatenus necessaria alimenta complectitur. Olim erat indistincte quarta pars portionis ab intestato; §. *ult. I. h. t.* Jure novo est tertia, si quatuor aut pauciores sint liberi, sin vero plures, dimidia. *Nov. 118. cap. 11.*

§. 13. Computanda legitima secundum quantitatem bonorum, quæ sunt tempore mortis, *L. 6. h. t.* deducto ære alieno.

§. 14. Imputantur in eam regulariter omnia, quæ ex defuncti substantia, sive per ultimam voluntatem, sive per actum inter vivos profecta sunt, non autem bona castrensia & quasi, nec bona adventitia, aut sumtus studiorum. arg. *L. 1. §. 15. de Collation. L. 50. Fam. herciſc.*

§. 15. Ad consequendam legitimam omnia illa remedia dantur, quæ ratione hereditatis competunt, quippe cujus pars illa est.

Tit. III.

De
HEREDITATIS PETITIONE.

§. 1.

HEreditatis petitio est actio universalis, mixta, bonæ fidei, qua heres ex testamento, vel

ab intestato petit hereditatem una cum præstationibus personalibus ab eo, qui pro herede, vel pro possessore eandem possidet.

§. 2. Est vel directa, vel utilis; illa datur heredi, hæc hereditatis emtori. *L. 54. h. t.*

§. 3. Datur hæc actio contra possessorem verum, & fictum, qualis est, qui dolo possidere desiit, *L. 13. §. 14. L. 25. §. 8. h. t.* item qui liti se obtulit. *L. 13. §. 13. L. 45. h. t.*

§. 4. Sufficit autem, quod reus rem hereditariam, licet minimam, possideat, unde etiam contra debitorem hereditarium, qui, se heredem esse, contendit, ac propterea solutionem negat, competit; *L. 13. §. ult. h. t.* Sin vero propterea solutionem detrectet, quod se debere, aut actorem heredem esse neget, hereditatis petitione non tenetur. *L. 42. h. t.*

§. 5. Petuntur hac actione res hereditariæ, sive in bonis, sive ex bonis defuncti fuerint, *L. 19. & 20. h. t.* corporales & incorporales, exceptis servitutibus. *L. 19. §. ult. h. t.*

§. 6. Præstationes personales, quæ in hanc actionem veniunt, comprehendunt debita a debitoribus hereditariis exacta, item rerum venditarum pretia, quippe quæ in hoc judicio in locum ipsarum rerum succedunt, & actiones nomine rerum hereditariarum acquisitas.

§. 7. Fructus malæ fidei possessor indistincte restituit, *L. 40. §. 1. L. 25. §. 4. h. t.* Bonæ fidei possessor autem, pro quali etiam habetur is, qui in

in jure erravit; *L. 25. §. 6. h. t.* tantum tenetur, quatenus locupletior factus est, *cit. L. 25. §. 11. h. t.*

§. 8. Quod ad impensas attinet, distinguendum est, an fructuum sint, an ipsius rei; illas quisque possessor indistincte deducit, *L. 36. §. ult. h. t.* has si necessariæ & utiles sint, bonæ fidei possessor etiam tunc deducit, cum res non amplius extat, *L. 38. h. t.* malæ fidei possessor autem non aliter, quam si res meliorata extet; *cit. Leg.* voluptuarias denique bonæ fidei possessor itidem deducit, malæ fidei possessor autem non nisi tollit. *L. 39. §. 1. h. t.*

§. 9. Cum vero actor in hac actione se in eo, quod alterius defuncti heres sit, fundet, inde ipsius mortem probare debet, quippe quæ non præsumitur, si vel maxime per 40. aut plures annos quis abfuerit, nisi eum 20. annis majorem esse, constet; tunc enim hereditas ejus proximioribus conceditur. *Carpz. P. 3. Const. 15. Def. 56.*

§. 10. Huic actioni, cum non mere realis, sed simul personalis sit, præscribitur 30. annis.

Tit. IV.

SI PARS HEREDITATIS PETATVR.

§. 1.

QVi ex parte tantum heres est, eodem jure partem petit, quo heres ex asse totam. *L. 1. §. 1. h. t.*

§. 2. Si uxor defuncti prægnans sit, filius ejus cohæres nonnisi quartam partem petere potest, quia tergemini nascituri esse censentur. *L. 3. h. t.*

Tit. V.

De POSSESSORIA HEREDITATIS PETITIONE.

§. 1.

POssessoria hereditatis petitio competit ei, cui bonorum possessio, seu hereditas Prætoria delata est. *L. 38. de V. S.* In effectu autem a petitione hereditatis civili nihil differt.

§. 2. Patet etiam, judicium hoc non possessorium, sed petitorium esse, cum in eo non de Jure possessionis, sed de pleno perfectoque jure in res hereditarias agatur. *L. 2. h. t.* Possessorium enim judicium est interdictum quorum bonorum, quod non minus prætorio, quam civili heredi datur. *§. 3. I. de Interd.*

Tit. VI.

De FIDEICOMMISSARIA HEREDITATIS PETITIONE.

§. 1.

HÆc petitio datur fideicommissario universali, cui ex fideicommisso restituta est hereditas

ditas contra tertium ejus possessorem, *L. ult. §. 1. h. t.* non autem contra heredem fiduciarium, quippe qui ex SCto Trebelliano ad restituendam hereditatem compellitur. *t. t. I. de Fideic. heredit.*

Lib. VI. Tit. I.

De REI VINDICATIONE.

§. 1.

REi vindicatio generaliter sumta notat omnem actionem realem, *§. 15. I. de Action.* addatur *Rubrica tit. Si servitus vindicet.* Hoc loco sumitur in sensu speciali pro actione, quæ ex prima specie juris in re, scilicet dominio oritur, ac definitur, quod sit actio in rem, quæ datur domino rei singularis & corporalis, contra quemvis ejus possessorem ad id, ut ipse Dominus declaretur, ac res cum omni causa sibi restituatur. *L. 35. §. 1. L. 68. h. t.*

§. 2. Fundamentum ejus est dominium, etiam restrictum, aut revocabile. *L. 24. Rer. amot. L. 66. h. t.*

§. 3. Datur contra possessorem late dictum, sive proprio nomine possideat rem, sive tantum alterius nomine eam detineat. *L. 9. h. t.* qui posterior tamen opposita *exceptione laudationis seu nominationis* ex lite dimittendus est. arg. *§. 1. I. de Action.*

§. 4. Præterea pro possessore habetur (1) is, qui

qui dolo malo possidere desiit; *L. 27. §. 3. h. t.* (2) qui cum non possideret, tamen liti se obtulit. *L. 25. & seq. h. t.*

§. 5. Qui lite jam contestata dolo possidere desiit, tenetur ad pretium ab actore juramento in litem definiendum. *L. 68. h. t.* si culpa, æstimationem veram præstat; *L. 63. h. t.* sin casu fortuito, absolvitur. *L. 27. §. 1. h. t.*

§. 6. Si reus se possidere neget, mendacii convictus possessionem salvo petitorio amittit, *L. ult. ff. h. t.* quæ pœna inficiationis hodie ab usu non recessit, aliter tamen in Supremo Appellationum Judicio responsum est anno 1708.

§. 7. Actor in hac actione id speciatim operam dare debet, ut rem, ejusve partem, quam petit, specifice designet, & vicinos etiam, si res immobilis sit, exprimat. *L. 6. h. t.*

§. 8. Bonæ fidei possessor restituit tantum fructus pendentes, *L. 44. h. t.* & perceptos adhuc extantes, modo non sint usucapti; *L. 4. §. 19. de Usucapion.* de consumtis autem non tenetur, quamvis locupletior inde factus sit, *§. 35. I. de Rer. divis. L. 5. l. 23. h. t.* ne quidem hodie, cum dispositio hæc Juris Civilis mutata non reperiatur, uti semel iterumque ab Ordine nostro responsum esse memini, licet aliter vulgo sentiant.

§. 9. Malæ fidei possessor, qualis etiam bonæ fidei possessor post litem contestatam esse intelligitur, tenetur de omnibus, etiam consumtis & percipiendis; *§. 2. I. de Offic. Jud. §. 35. I. de Rer. divis.*

divis. Adjudicare tamen Judex ante litem contestatam perceptos non aliter potest, quam si petiti fuerint. *L. 10. de Usur. L. 25. §. 8. de Ædilit. Edict.* Post litem contestatam autem etiam non petit Judicis officio adjudicandi. *cit. L. 25.* Add. *L. 38. §. 1. h. t.*

§. 10. Impensas fructuum uterque possessor, sicut & necessarias in rem, deducit. *L. 36. §. ult. de Heredit. petit. L. 5. C. h. t.* modo non sit fur, aut violentus possessor *L. 13. de Condict. furt.* utiles bonæ fidei possessor regulariter deducit, modo res meliorata adhuc extet, malæ fidei possessor tantum tollit. *L. 37. h. t. §. 31. I. de Rer. divis.* voluptuarias denique, qua sine damno fieri potest, uterque tam bonæ, quam malæ fidei possessor tantum tollit. *L. 5. C. h. t. L. 9. de Impens. in res dotal. fact.*

§. 11. Actori in hac actione duo probanda sunt, ex parte sui dominium, & ex parte rei possessio. Cum autem probatio dominii adeo difficilis sit, ut pragmaticorum nonnullis diabolica audiat, consultius est, interdicto aliquo possessionem nanciscí, & sic in adversarium onus probandi transferre, *L. 24. h. t.* aut certe Publicianam actionem cum rei vindicatoria cumulare.

§. 12. Reus condemnatus actori rem cum omni causa restituit, nec pretium pro ea solutum repetit; *L. 2. C. de furt. L. 16. C. de Eviction.* nisi ab hostibus redemta, aut alias peritura fuisset. *L. 6. de Captiv. & postlimin. reversi.* Tit.

Tit. II.

De
PVBLICIANA IN REM ACTIONE.

§. 1.

QVando requisita vindicationis desunt, Prætor ad similitudinem ejus ex æquitate aliam actionem in rem dat, quæ Publiciana dicitur a Prætore Publicio. §. *4. I. de Action.*

§. 2. Est ergo actio in rem Publiciana, quæ datur ei, qui a non domino bona fide & justo titulo rem accepit, eamque amisit, adversus infirmiori jure possidentem, ad eandem restituendam. *cit.* §. *4. L. 1. ff. h. t.*

§. 3. Fundamentum ejus est fictum dominium; fingit enim Prætor, rem, quam quis bona fide & justo titulo possedit, ab eo usucaptam esse, quæ tamen revera usucapta non est. *L. 12. h. t.*

§. 4. Sicuti Jure Civili sufficit ad usucapionem bona fides ab initio, ita etiam ad hanc actionem satis est, ab initio accipientem credidisse, se esse dominum, nec mala fides superveniens hanc actionem excludit; ne quidem Jure Canonico & hodierno; quamvis enim utrumque illud in usucapione semper bonam fidem exigit, non tamen ceu Jus correctorium & a LL. Romanis exorbitans ad hanc actionem extendendum est, quod ea majorem longe favorem mereatur,

reatur, quam usucapio, quippe quæ Jus veri domini excludit, quod ibi secus. Add. *L. ult. h. t.*

§. 5. Non datur hæc actio vero Domino, qua tali; sic enim rei vindicationem habet, sed quatenus ut bonæ fidei possessor spectatur; unde usu fori cum actione rei vindicatoria in uno libello conjungi, & res ex dominio vel quasi peti solet, ut in præcedenti titulo diximus. Add. *Capit. 3. de re jud. in 6.*

§. 6. Nec datur contra verum Dominum, aut eum, qui justo titulo possidet; *L. 9. §. 4. h. t.* nisi forte exceptio dominii per replicam elidi possit, v. g. in causa noxali *L. 28. de noxal. action. L. 72. de rei vindicat.*

§. 7. Officium judicis quoad rem & fructus restituendos in hac actione idem est, quod in rei vindicatione. *L. 7. §. 8. h. t.*

Tit. III.

SI AGER VECTIGALIS, ID EST, EMPHYTEVTICARIVS PETATVR.

§. 1.

AGer vectigalis & emphytevticarius hoc loco idem significat. *Rubr. h. t. L. 15. §. 1. Qui satisdar. cog.* germ. Erb-Zinß-Guth.

§. 2. Contractus Emphytevticarius est consensualis de utili rei immobilis dominio transferendo

rendo sub lege meliorationis & annui canonis in recognitionem dominii directi præstandi §. 3. *I. de locat. conduct.* isque ab emtione, venditione, & locatione, conductione differt, separatamque a Zenone Imperatore naturam accepit.

§. 3. Ex hoc contractu oritur actio Emphyteuticaria utrinque directa, ad id, quod promissum est, præstandum.

§. 4. Ubi vero res in Emphyteusin promissa tradita est, ipsum jus Emphyteuticarium ceu reale constitutum intelligitur, indeque utilis rei vindicatio datur, quæ & actio, *si ager vectigalis* dicitur, quæ competit Emphyteuticario, contra quemcunque possessorem, ad rem Emphyteuticariam cum omni causa restituendam.

§. 5. Jus Emphyteutæ extinguitur (1) rei interitu; (2) cessione domino directo facta; (3) præscriptione; (4) lapsu temporis; (5) culposa & insigni deterioratione, (6) alienatione ejus, non requisito domini consensu, (7) Canone in Ecclesiastica Emphyteusi intra biennium, in seculari intra triennium non soluto, & quidem ipso jure, ita ut judicis sententia nonnisi declaratoria sit, *L. 2. Auth. Qui rem C. de Sacros. Eccl.* nisi a domino hoc remissum, saltem tacite, *L. 2. C. h. t.* aut Emphyteuta Canonem offerendo moram purgaverit. *Cap. ult. X. de locat.*

§. 6. Cognata Juris Emphyteuticarii sunt (1) Jus feudale, (2) Censiticum, ubi in memoriam

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819013587/phys_0060
DFG

am accepti pleni dominii census, ein schlechter Zinß, solvitur; (3) libellarium, quo quis pretio interveniente prædium ea Lege a domino accepit, ut pensionem certam singulis annis solvat, & insuper stato tempore, licet possessor non sit mutatus, rursus numerato certo vel arbitrario pretio jus istud renovet; (4) Superficiarium; (5) precarium.

Lib. VII. Tit. I.

De

VSVFRVCTV ET QVEMADMODVM QVIS VTATVR, FRVATVR.

§. 1.

POsteaquam vidimus judicia in rem de rebus corporalibus, sequitur, ut actiones de rebus incorporalibus propositas evolvamus, quæ sunt servitutes.

§. 2. Servitus in genere est jus in re aliena constitutum, quo rei illius dominus ad alterius utilitatem aliquid pati, vel non facere tenetur, *L. 15. ff. de Servit.* Si ad faciendum se obstringat, nullum jus reale inde oritur, sed solum personale, quod tantum contra personam obligatam valet, adeoque omnis servitus proprie dicta in faciendo, vel non faciendo consistit.

§. 3. Dividitur servitus in personalem, quæ personæ debetur; *L. 57. h. t.* & realem, quæ rei constituta est, *L. 1. de Servit.* In hoc libro de personalibus agitur, quæ sunt ususfructus, usus, habitatio, & operæ servorum.

§. 4. Vsusfructus sumitur vel improprie, quem quis in re sibi propria habet, diciturque causalis, aliquando etiam utile dominium, quo sensu feudum per usufructum describi solet; vel proprie, qui ususfructus formalis appellatur, estque vel verus, vel quasi ususfructus.

§. 5. Verus ususfructus est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva earum substantia, *L. 1. ff. h. t. §. 1. eod.*

§. 6. Ususfructus constituitur vel a lege, vel ab homine; priori modo competit patri, vi patriæ potestatis, in bonis adventitiis liberorum, §. *1. I. per quas perf. cuique acquir.* item in præmium emancipationis §. *2. I. d. t.* interdum quoque in pœnam competit, scilicet patri vel matri ad secunda vota transeunti; amittit enim proprietatem earum rerum, quas a priori conjuge accepit, solo usufructu retento. *L. 3. C. de secund. nupt.*

§. 7. Homo, qui usumfructum constituit, est vel Judex, scilicet in judiciis divisoriis, *L. 6. §. 1. h. t. L. 16. §. 1. famil. herciſc.* vel dominus, voluntate tacita, vel expressa. Tacita voluntas subest in præscriptione, scilicet longi temporis, si bona fi-

des

des & justus titulus concurrat, longissimi vero, si titulus deficiat, sed bona fides adsit, qua deficiente nec longissimi temporis præscriptio procedit, sed tantum possidens per exceptionem se tueri potest. *L. 28. de V. S. §. ult. in fin. C. de long. temp. præscript. L. 8. §. 1. C. de Trigint. vel quadragint. annor. præscript.*

§. 8. Expressam voluntatem dominus declarat, vel actu inter vivos, vel ultima voluntate. Priori casu constituitur ususfructus per quasi traditionem ex justa causa; *L. 11. §. 1. de Public. in rem act. §. 1. I. h. t.* Posteriori casu autem ususfructus a tempore hereditatis aditæ ipso jure sine quasi traditione Legatario acquiritur, *L. 25. §. ult. h. t. L. 10. & 29. de Usufr. leg.* add. *L. 80. de Legat. 2.* Possessionem tamen ipso Jure non acquirit, sed hæc ipsi ab herede præstanda venit. *L. 3. pr. h. t.*

§. 9. Ad constitutionem ususfructus requiritur dominium plenum, unde ab utili domino concessus, resoluto jure dantis, expirat. *L. 31. ff. de Pignor.*

§. 10. Ususfructus filiofamilias constitutus non nisi utriusque, filii & patris, morte expirat, quod hic singulare est. *L. un. C. de Usufr.*

§. 11. Usufructuarius jus ipsum civiliter seu animo sibi habendi, rem autem, in usumfructum concessam, naturaliter, seu tanquam nudus detentor possidet.

§. 12. Usufructuarius sicuti omnes fructus percipit,

cipit, eosdemque percipiendo suos facit, *L. 3. Quib. mod. usufr amitt.* & commoditatem utendi fruendi alteri libere concedit, *L. 9. §. 5. L. 26. de Vsufr.* ita modicos sumtus ipse ferre, item tributa omnia de suo solvere, & in genere tanquam bonus paterfamilias in re usufructuaria versari debet. Quod si tamen persona usufructuarii privilegium immunitatis ab oneribus habeat, eodem gaudebit, licet nec persona propriè talis, nec bonorum conditio immunis sit. Vid. *Ant. Faber. in Cod. Sabaud. L. 9. tit. 30. def. 22.*

Tit. II.

De
VSVFRVCTV ACCRESCENDO.

§. 1.

QVando ususfructus conjunctim pluribus legatus est, & unus deficit, pars ejus reliquis accrescit, qualiscunque fuerit conjunctio, *L. 1. pr. h. t.* licet verbalis tantum. Add. *Vinn. ad §. §. I. de legat.*

§. 2. Tria autem hoc loco singularia notanda sunt: (1) quod, cum alias repudiantis tantum portio accrescat, ususfructus tamen etiam post concursum realem jus accrescendi admittat; *L. 1. §. 3. h. t.* (2) quod etiam accrescat illi, qui portionem suam amisit, cum hic non tam res, quam persona spectetur, *L. 10. h. t.* (3) quod, si uni usus-

fusfructus, alteri fundus legatus sit, priori deficiente, posterior usumfructum non jure proprietatis, sed jure accrescendi consequatur, adeoque onera usufructuario deficienti injuncta, agnoscere teneatur, *L. 3. §. ult. h. t.*

Tit. III.

QVANDO DIES VSVSFRVCTVS LEGATI CEDAT.

§. 1.

QVamvis regulariter legati relicti dies statim a morte testatoris cedat; *L. 12. §. 3. Quand. dies legat. ced.* Secus tamen in usufructu legato est, ubi dies demum ab adita hereditate cedit, *L. un. §. 2. h. t.* quia scilicet hic spes transmissionis ad heredes cessat.

§. 2. Quodsi ususfructus in diem vel sub conditione legatus sit, cedit dies, cum venit, aut conditio extitit. *L. un. §. 2. & 3. h. t.* Quod si tamen Legatarius hoc casu ante diem agat, nulliter quidem, sed non male agit, h. e. pœna plus petitionis cessat. *L. un. §. ult. h. t.*

Tit. IV.

QVIBVS MODIS VSVSFRVCTVS ET VSVS AMITTITVR.

§. 1.

VSusfructus finitur (1) Vsufructuarii morte, ceu jus personale *§. 3. l. de Vsufr.* heredibus

simul constitutus nonnisi primi gradus heredibus defertur, *l. 14. C. de usufr.* quam Legem in genere ad omnia jura, quæ sua natura ad heredes non transeunt, applicare licet. Vniversitati acquisitus perit ejus dissolutione, aut lapsu 100. annorum, tanquam longissimo humanæ vitæ termino. *L. 56. de Usufr.*

§. 2. Amittitur (2) die vel conditione existente, (3) maxima & media capitis diminutione, *L. penult. §. 2. de Usufr.* (4) non utendo per modum præscriptum, aut tempus inter præsentes decem, absentes viginti annorum, *L. penult. §. 1. C. de Usufr.* (5) interitu rei totali; (6) constituentis jure resoluto; *L. 31. C. de Pignor.* (7) Consolidatione; *§. 3. I. de Usufr.* (8) cessione extraneo facta, quando scilicet id actum, ut usufructuarius omne Jus suum abdicaret, quod in dubio non præsumitur.

§. 3. Usufructu finito res proprietario restituenda est cum fructibus nondum perceptis, *§. 37. I. de Rer. divis.* In Saxonia respicitur, utrum eo tempore, quo usufructuarius moritur, maximus labor peractus sit, quod in agris factum esse intelligitur, quando consiti & rastro subacti sunt, & tum fructus ad heredes usufructuarii transeunt, alias ad proprietarium pertinent. Vid. *Carpz. P. 3. Const. 32. def. 5. & seq.* Fructus civiles, v. gr. pensiones & usuræ pro rata anni inter proprietarium & usufructuarii heredes dividuntur, *L. 26. L. 58. de Usufr.*

Tit. V.

De VSVFRVCTV EARVM RERVM, QVAE VSV CONSVMVNTVR, VEL MINVVNTVR.

§. 1.

AGitur in hoc titulo de quaſi uſufructu, qui eſt jus utendi fruendi rebus, quæ uſu conſumuntur, ea Lege, ut eo finito in genere earum reſtitutio fiat. §. *2. I. de Uſufr.*

§. 2. Hic quaſi uſusfructus competit per Legis diſpoſitionem patri in bonis adventitiis filii conſumtibilibus, arg. *L. 6. C. de Bon. quæ liber.* a domino autem ex libera voluntate, ſive mortis cauſa, ſive inter vivos conſtituitur, non vero a judice. arg. *§. 4. & 5. I. de Offic. jud.*

§. 3. In veſtimentis ſcenicis & feſtivis, item lugubribus, verus, in quotidianis autem quaſi uſusfructus locum habet, *L. 15. §. 4. de Uſufr. L. 9. §. 3. Uſuf. quemadmod. cav.* Jungatur *L. 5. §. 10. Commod. vel contra.*

§. 4. Cum vero in hoc quaſi uſufructu per rerum traditionem dominium tranſeat, §. *2. I. de Uſufr. L. 7. h. t.* loco proprietatis eſt obligatio ad rem in genere reſtituendam, non vero cautio, ut aliqui volunt, cum hæc remitti poſſit. *L. 5. §. 1. h. t.*

§. 5. Finito quaſi uſufructu res repetitur per

actionem ex stipulatu, vel condictionem sine causa. *L. 5. §. 1. h. t.*

Tit. VI.

SI VSVSFRVCTVS PETATVR VEL AD ALIVM PERTINERE NEGETVR.

DAtur hinc actio confessoria & negatoria, de qua utraque vid. *tit. 5. L. 8.*

Tit. VII.

De OPERIS SERVORVM.

OPerarum servilium servitus est jus omnem utilitatem ex operis servi alieni percipiendi, *L. 3. h. t.* eaque nec morte, nec capitis diminutione finitur, in eoque ab usu & usufructu differt. *L. 2. h. t.*

Tit. VIII.

De VSV ET HABITATIONE.

§. 1.

VSus, der schlechte Gebrauch, est jus alienis rebus utendi, scilicet salva earum substantia, *pr. I. h. t.* Restrictus est usus ad necessaria vitæ subsidia, in eoque inprimis ab usufructu differt; constituitur autem & finitur, ut ususfructus. *pr. l. eod.*

§. 2.

§. 2. Habitatio est jus omne commodum ex alienarum ædium inhabitatione percipiendi §. 1. I. h. t. Differt ab usufructu ratione commodi ad solam inhabitationem restricti, ab usu autem, quod is, cui habitatio competit, ædes, quamvis non simul inhabitet, aliis locare possit, quod usuarius facere nequit, §. 5. I. eod. L. 13. C. de Vsufr. Ab utroque autem in eo differt, quod neque per non usum, neque per capitis diminutionem amittatur. L. 10. pr. h. t.

Tit. IX.

VSVFRVCTVARIVS QVEMADMODVM CAVEAT.

§. 1.

IN securitatem proprietarii usufructuarius cautionem præstare debet; quæ tamen, cum remitti possit, ad substantiam ususfructus non pertinet.

§. 2. Non tamen eam præstare cogitur (1) Pater ratione ususfructus, qui in filiifamilias bonis eidem competit, L. 6. C. de Bon. quæ liber. nisi cum dissipationis periculum adest. Vid. Carpz. P. 2. Const. 10. Def. 9. n. 8. & seqq. (2) fiscus; L. 1. §. 18. Vt legat. (3) donator rei, in qua sibi usumfructum reservavit; arg. L. 62. de Ædilit. Edict. (4) is, cui proprietas sub die legata est, L. 9. §. 2. h. t.

§. 3. Verus usufructuarius cavet (1) quod re Viri boni arbitrio uti, & (2) eandem finito usufructu restituere velit. *L. 1. h. t.* Quasi usufructuarius autem cavet de re, finito quasi usufructu in eadem quantitate & qualitate restituenda. *§. 2. I. de Usufr. L. 7. de Usufr. ear. rer. quæ us. cons.*

§. 4. Præstatur cautio hæc Jure Civili fidejussoribus: arg. *l. 7. §. 1. h. t. L. 13. pr. de Usufr.* Hodie etiam pignoribus, imo aliquando arbitrio Judicis, etiam mediante juramento.

§. 5. Cautionem hanc testator remittere nequit, bene tamen ipse heres, in cujus favorem hoc constitutum est. *L. 1. C. de Usufr.*

Lib. VIII. Tit. I.

De

SERVITVTIBVS.

§. 1.

DIximus de servitutibus personalibus, sequuntur nunc reales seu prædiales, quas prædia prædiis vicinis debent. *§. 3. I. de servit. rustic. & urban. præd.*

§. 2. Suntque vel urbanæ, vel rusticæ, pro qualitate prædii dominantis. Dicitur autem prædium urbanum, quod usum urbanum, in habitatione in primis consistentem, præbet, rusticum vero, cujus usus rusticus est, qui in agricultura, pecoribus habendis &c. consistit.

§. 3.

§. 3. Constituuntur servitutes reales a domino pleno; unde proprietarius ne quidem consensu usufructuarii servitutem alteri concedere potest; cujus dispositionis hæc ratio videtur, quod usufructuarius, cum alienare nequeat, nec alienanti proprietario, quod servitutem concedendo facere intelligitur, consentire queat, *L. 15. §. ult. de Usufr.* Quæ tamen Juris Romani subtilitas moribus hodiernis merito negligitur.

§. 4. Pari modo servitus proprie sic dicta a domino utili, v. gr. vasallo, sine consensu domini directi constitui nequit; sed alter hoc casu nonnisi jus personale ex pacto vel contractu consequitur, quod contra tertium, v. gr. emtorem, haud quaquam valet; quemadmodum semel iterumque ab Ordine Vitembergensi responsum esse, memini.

§. 5. Probe autem hic separanda est promissio servitutis ab ejus constitutione; illa fit per pacta & stipulationes, nec nisi actionem personalem ad implendam obligationem parit. Constitutio autem servitutum fit per quasi traditionem, h. e. per exercitium ac domini patientiam. Ex quæ deinde jus reale, & actio confessoria oritur, unde liquet, non prius locum huic actioni esse, quam ad promissionem servitutis ad minimum unus actus quiete exercitus accesserit: in negativis tamē servitutibus, quæ in non faciendo consistunt, promissio servitutis cum ipsa constitutione concidere videtur; sicuti etiam in ultimis voluntatibus

tibus hæc ipso jure fit. *L. ult. ff. de servit. legat. L. 19. §. 1. Quemadm. servit. amitt.*

§. 6. Acquiruntur etiam servitutes præscriptione, scilicet longi temporis, *L. ult. in fin. C. de long. temp. præscript.* ad quam opus est justo titulo, quoties dominus ignorat. Scientia enim ejus est vice tituli, *cit. L. ult.* in negativis initium præscriptionis currit ab actu prohibitivo, in quo alter acquievit. Add. *Carpz. P. 2. Const. 4. def. 13.*

§. 7. Habent vero servitutes omnes causam perpetuam, *L. 28. de Servit. præd. Urb.* h. e. ita comparatam, ut ea nunquam penitus deficiat, licet servitus actu secundo non semper exerceatur.

§. 8. Servitutes hæ prædiales ipsis prædiis inhærere intelliguntur; ex quo consequitur, dominum prædii dominantis, cui v. gr. servitus pascendi debetur, non posse alteri ejus usum concedere, utut ipse forte nulla omnino pecora habeat, adeoque servitus inutilis ipsi sit, vid. *L. 24. L. 33. §. 1. de Servit. rust. præd.* nisi forte id ipsum pacto expressum sit. *cit. L. 33.* Quem in modum Ordinem Vitembergensem in facto consultum respondisse recordor.

Tit. II.

De SERVITVTIBVS PRÆDIORVM VRBANORVM.

§. 1.

REcenſentur in hoc titulo ſervitutes, quæ plerumque & regulariter urbanæ ſunt, ſed tamen etiam ruſticæ fieri poſſunt, ſi nempe prædio ruſtico debeantur; nam a prædio dominanti ſervitutes nominantur.

§. 2. Sunt autem ſervitutes urbanæ: (1) oneris ferendi, qua paries vel columna onus vicinarum ædium ſuſtinere debet; ubi refectio parietis ruinoſi ſervienti incumbit, *L. 33. h. t. L. 6. §. 2. Si ſervit. vind.* niſi ædes derelinquere malit; *cit. L. 6. §. 6.* quo ipſo tamen hæc ſervitus in faciendo haud conſiſtit, cum refectio conſtitutionem ſervitutis non ingrediatur, ſed ſolum ad eam præparandam faciat, (2) Tigni immittendi, ubi dominus prædii dominantis parietem reficit, *L. 8. §. 2. Si ſerv. vind.* (3) Projiciendi protegendive. (4) Altius tollendi; ubi ſupponendum eſt ſtatutum, vel conſuetudo, vi cujus ædes ſuas invito vicino ultra certam menſuram excitare non licet. Add. *L. ult. §. ult. C. de ſervit.* Quod enim, hac ſervitute conſtituta, vicinus ædes ſuas altius tollere teneatur, id abſonum eſt, & naturæ ſervitutum, quæ nunquam in faciendo conſiſtunt, re-

repugnat. *L. 15. §. 1. de Servit.* (5) Altius non tollendi; (6) Luminum, scilicet ratione parietis vicini vel communis, in proprio enim libere quis fenestras aperit, *L. 8. §. 5. Si servit. vind.* ita tamen, ut vicinus contra ædificando illa obscurare possit, *L. 9. 10. h. t.* (7) Ne luminibus officiatur, (8) ne prospectui officiatur, (9) stillicidii avertendi, & non avertendi; (10) Fluminis avertendi, & non avertendi; (11) Positum non habendi; (12) Fumi; (13) Cloacæ immittendæ.

Tit. III.

De SERVITVTIBVS PRÆDIORVM RVSTICORVM.

SErvitutes regulariter rusticæ sunt: (1) Iter; (2) Actus, qui iter virtualiter complectitur: estque vel plenus, quando quis & jumentum, & vehiculum agendi jus habet; vel minus plenus, (3) Via, cujus latitudo in porrectum 8. in anfractum 16. pedum est. (4) Aquæductus; (5) Aquæhaustus; (6) Pecoris ad aquam appulsus; (7) Jus pascendi, a quo differt jus compascui, Coppelweyde, quod sola familiaritate nititur, adeoque semper revocari, nec unquam præscribi potest. *Carpz. P. 2. Const. 41. def. 9.* (8) Calcis coquendæ, item arenæ, cretæ fodiendæ, lapides eximendi, aliaque similia jura.

Tit. IV.

Tit. IV.

COMMVNIA PRÆDIORVM TAM VRBANORVM, QVAM RVSTICORVM.

Hic repetenda sunt ea, quæ *Tit. 1.* de servitute in genere dicta sunt.

Tit. V.

SI SERVITVS VINDICETVR, VEL AD ALIVM PERTINERE NEGETVR.

§. 1.

Titulus hic duplicem actionem exponit, quæ intuitu servitutis datur, una est confessoria, altera negatoria.

§. 2. Actio confessoria est realis, quæ datur ei, cui servitus sive personalis, sive prædialis, competit, adversus turbantem, & impedientem, ad declarationem illius servitutis, liberumque ejus usum. §. 2. *I. de Action.*

§. 3. Fundamentum hujus actionis est servitus constituta, scilicet per quasi traditionem. *L. 9. C. de Servit.*

§. 4. Estque vel directa, vel utilis. Illa datur domino, cui vel cujus prædio servitus constituta est; hæc, scilicet utilis, datur domino utili, v. gr. vasallo, item creditori, cui fundus est op-

oppignoratus, nec non usufructuario, contra impedientem, qui non est proprietarius, vid. *L. un. §. 4. de Remission.* & in genere respectu omnium jurium, quæ non sunt servitutes, ut Jurisdictionis, juris venandi, Patronatus, Decimarum &c.

§. 5. Solet etiam in libello peti, ut reus cautionem de non amplius turbando præstet. Add. *Carpz. Lib. 1. Resp. 20.*

§. 6. Altera actio est negatoria, quæ datur domino, contra eum, qui servitutem prætendit, ad id, ut res sua a servitute libera declaretur, & reus a turbando desistat. §. 2. *I. de Action.*

§. 7. Fundamentum hujus actionis est particula dominii, scilicet libertas naturalis, quæ præsumitur, adeoque probanda haud est, quamvis reus in quasi possessione servitutis constitutus sit, neque enim in hoc remedio petitorio, possessionis ratio habenda venit. Add. *Carpz. Lib. 1. Resp. 67.*

§. 8. Hæc Actio æque ac confessoria ad omnia servitutibus similia applicari solet.

§. 9. Actori id inprimis operam dandum, ut in terminis mere negativis, quod nempe reus in prædio suo nullum jus habeat, sese contineat; nam si aliquid affirmat, v. gr. quod adversarius vi, clam, aut precario, servitute utatur, probatio ipsi incumbit.

§. 10.

§. 10. Si tamen reus neget, actorem esse dominum prædii, illius probatio est præjudicialis, ut reo non prius probatio servitutis prætensæ injungi queat, quam actor dominium suum ostenderit, ubi tamen haud requiritur plena probatio, sed sufficit nuda demonstratio possessionis; ex illa enim in hac actione dominium præsumitur.

Tit. VI.

QVEMADMODVM SERVITVTES AMITTANTVR.

§. 1.

Servitutes amittuntur (1) resoluto jure constituentis, v. gr. mariti in prædio dotali. *L. 11. §. 1. h. t.* Add. *L. 31. de Pignor.* (2) Confusione, si quis utriusque prædii dominantis & servientis dominus factus sit, cum res propria nemini serviat; *L. 5. pr. ff. Si usufr. pet.* (3) Interitu prædii totali; unde servitutes, ædibus impositæ, illis denuo exstructis, reviviscunt. *L. 20. §. 2. L. 31. de Servit. præd. urban.* (4) Remissione domini sive expressa, sive tacita. (5) Non usu longi temporis, vel non utendo eo modo, quo constituta est servitus. In urbanis tamen servitutibus solus non usus haud sufficit, sed a parte adversarii præscriptio libertatis requiritur, quæ non prius incipit, quam actus libertatis servituti contrarius, in quo acquievit, exercitus fuerit, *L. 6. & 7. L. 32. §. 1. de Servit. præd. urb. L. 18. §. 8. h. t.*

Lib. IX. Tit. I.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICATVR.

§. 1.

PAuperies nihil aliud est, quam damnum, quod sine injuria facientis datum est. *L. 1. §. 3. h. t.*

§. 2. Oritur hinc actio de pauperie ad resarciendum damnum, vel animal noxæ dedendum; cui, ut locus sit, requiritur (1) ut nocuerit animal alienum; (2) irrationale; nam si servus sit, competit actio noxalis; (3) contra generis sui naturam, alia enim actio de pastu, vel in factum datur, (4) sine hominis culpa; hac enim interveniente vel omnino deficit actio L. Aquiliæ, si propria sit, vel datur actio L. Aquiliæ, si aliena sit, *L. 1. §. 4. & 5. h. t. L. 11. §. 5. ad L. Aquil.* (5) proprio motu; nam si ab alio animali incitatum nocuerit, illius dominus hac actione tenetur. *L. 1. §. 8. & 11. h. t.*

§. 3. Datur hæc actio contra eum, qui tempore litis motæ animalis dominus est, *L. 1. §. 12. h. t.* contra singulos dominos in solidum; quo casu tamen unius præstatio reliquos liberat, *L. 1. §. 14. h. t.* contra heredes datur, non qua tales, sed quatenus domini sunt animalis, quod nocuit. *L. 1. §. ult. h. t.*

§. 4. Est vero obligatio domini alternativa, adeo-

adeoque utrum damnum resarcire, an animal noxæ dedere velit, electionem habet, *L. 1. pr. h. t.* quam tamen amittit, & in solidum tenetur, si animal suum esse inficiatus, mendacii convictus fuerit. *L. 1. §. 15. h. t.*

§. 5. Quod si liber homo ab animali alieno læsus sit, damnum ex impensis curationis & operis, quas quis omisit, & inposterum omissurus est, æstimandum venit. *L. 3. h. t. L. ult. de His, qui effud. vel dejec.*

Tit. II.

AD LEGEM AQVILIAM.

§. 1.

LEx Aquilia, quæ species Plebisciti Romani est, vindicat damnum injuria datum, quod inter delicta privata refertur. *§. 1. & sequ. I. h. t.*

§. 2. Datur inde actio L. Aquiliæ, ad quam requiritur (1) damnum, alterius patrimonio datum; *§. 13. & 14. I. eod. L. 3. de Damn. inf.* (2) sine culpa patientis, *L. 11. pr. h. t. L. 203. de R. I.* unde provocans, seu autor rixæ, accepto vulnere, actionem ad expensas & interesse non habet, *L. 30. §. ult. h. t. L. 1. §. 11. Si quadrup. paup. fec. dic.* licet provocatus fines justæ defensionis excesserit, adeoque extra ordinem puniatur. *§. 2. I. h. t. L. 5. L. 45. §. 4. h. t.* Excipi tamen solet magnus & insignis excessus, in defensione admissus, ubi actio L. Aquiliæ provocanti datur, quem in modum Col-

legia Vitembergensia constanti judicio respondere solent; (3) ut damnum injuria datum sit, h. e. dolo, aut quavis culpa, nam & leviſſima in hanc actionem venit, modo extra contractum admiſſa sit, nam in contractu, v.gr. locationis conductionis commiſſa pro indole & natura ejus vindicatur, nec puto tali casu omiſſa actione ex contractu posse ex L. Aquilia eo cum effectu agi, ut culpæ leviſſimæ, quæ ex natura illius contractus præstanda haud est, ratio haberi debeat; qualis culpa, cum in infantem & infantiæ proximum haud cadat, hac actione non tenetur. *L. 5. §. 2. h.t.* Vnde colligo, infantiæ proximum commiſſo homicidio ad Wergeldum in Saxonia obligatum non esse, quippe cujus præstatio culpam supponit, cujus infans, nec non infantiæ proximus incapax est, atque adeo textus Juris Saxonici, qui etiam impuberibus Wergeldi præstationem injungit, ad eos, qui pubertati proximi sunt, restringendus esse videtur. Ex quo ulterius colligo, ne quidem ad refusionem expensarum, quæ in inquisitionem factæ sunt, ejusmodi impuberem, infantiæ proximum, teneri; qua ratione Ordo noster Vitembergensis de impubere octo annos nato, qui alium puerum sclopeto occiderat, consultus, Mense Septemb. 1709. respondit; (4) ut res corporalis fracta, scissa, usta, aut quoquo modo deteriorata aut peremta sit: *§. 13. I. h.t. L. 27. §. 13. h.t.* unde contra furem qua talem actio hæc locum non habet. *L. 27. §. 25. h.t.* §. 3.

§. 3. Datur propter ejusmodi damnum actio L. Aquiliæ, quæ sua natura rei persecutoria est, aliquando tamen & per accidens fit pœnalis mixta. §. *9. I. ad L. Aquil.* §. *19. I. de Action.*

§. 4. Plebiscíti hujus tria capita sunt: (1) pertinet ad occisos servos, & quadrupedes, quæ pecudum numero sunt, §. *2. I. h. t. L. 2. pr. eod.* (2) ab usu recessit, & probabile est, de servo corrupto illud egisse; *L. 27. §. 4. h. t.* (3) complectitur omnia reliqua damna. §. *13. I. eod.*

§. 5. Si ex primo capite agatur, æstimatur res, quanti plurimi fuit anno proximo, retro computato, §. *9. I. eod.* Sin autem ex tertio capite æstimatio fiat, quanti res plurimi fuit diebus 30. proximis, §. *14. I. h. t. L. 27. §. 5. eod.* Qui modus æstimandi hodie abrogatus non est, quamvis infrequens sit, forte ob actorum insciriam vel incuriam. Dissentit cum JCtis Belgis *Laut. h. t.*

§. 6. Si reus damnum a se datum esse neget, pœna inficiationis est, quod convictus teneatur in duplum. §. *19. & 26. I. de Action.*

§. 7. Quod si liber homo vulneratus sit, expensarum & operarum ratio habetur, non etiam deformitatis atque dolorum; *L. 3. ff. Si quadr. L. ult. de His, qui effud. vel dejec.* Hodie tamen etiam intuitu dolorum aliquid peti & adjudicari solet.

§. 8. Datur hæc actio læso & heredibus, contra eum, qui damnum intulit, non etiam contra heredes, cum ex delicto sit. §. 9. I. h. t. L. 23. §. 8. eod.

§. 9. Dividitur hæc actio L. Aquiliæ in directam & utilem: illi locus est, quando corpore & in corpus damnum est datum, v. gr. manu occidendo equum; huic vero, cum non corpore, sed tamen in corpus damnum est datum, v. gr. includendo animal, ut fame periret. Vtriusque idem effectus est, L. 47. §. 1. de Negot. gest. Sin autem nec corpore, nec in corpus, sed tamen damnum illatum est, v. gr. servum compedibus liberando, ut aufugeret, datur actio in factum subsidiaria. §. ult. I. h. t. L. 11. de Præscript. verb.

§. 10. Actor in hac actione regulariter probat, quod scilicet Rei dolo, vel culpa læsus sit, arg. L. 2. de probat. etiam tunc, quando incendium, in alterius ædibus ortum, damnum dedit: quamvis enim incendia plerumque inhabitantium culpa fieri dicantur; L. 3. §. 1. ff. de Offic. Præf. vigil. præsumtio tamen hæc generalis non statim infert præsumtionem specialem, quæ ad transferendum onus probandi sufficiat. Vid. L. 11. ff. de Peric. & commod. rei vend. Quæ sententia per Dec. Elect. noviss. 80. expresse confirmata est.

Tit. III.

Tit. III.

De HIS, QVI EFFVDERINT VEL DEJECERINT.

§. 1.

PRoponitur in hoc titulo actio de dejectis vel effusis, quæ oritur ex quasi delicto, & datur læso adversus inhabitatorem ædium, ex quibus aliquid dejectum & effusum est, ad damnum per hoc datum vindicandum. §. *1. I. de Oblig. quæ quas. ex delict. L. 1. pr. h. t.*

§. 2. Fundamentum hujus actionis est quasi delictum: unde inhabitator præstat suorum culpam, *L. 6. §. 2. h. t.* quamvis hospites sint, *L. 1. §. 9. h. t.* salvo tamen contra dejicientes regressu. *L. 5. §. 4. h. t.*

§. 3. Quodsi damnum in re æstimabili datum sit, competit hæc actio in duplum, §. *1. I. de Obl. quæ quas. ex delict. L. 1. pr. &* §. 4. *h. t.* Et quidem perpetuo, seu intra 30. annos, licet non mere pœnalis, sed mixta sit. *L. 5. §. 5. h. t.*

§. 4. Sin autem res, in qua damnum datum, inæstimabilis, v. gr. liber homo læsus, datur in id, quod judici æquum videtur, habita ratione impendiorum, operarumque, quibus propterea caruit, aut cariturus est; *cit. §. 1.* Sin liber homo occisus, datur ad 50. aureos, *cit. L. 1. & 5. §. 5. h. t.* eadem-

demque cuivis ex populo competit intra annum, *cit. L. 5.* læso autem in perpetuum. *cit. Leg.*

§. 5. Altera actio, quæ in hoc titulo proponitur, est de posito vel suspenso, quæ est popularis, & datur adversus illos, qui aliquid periculose positum vel suspensum eo in loco, ubi vulgo iter fit, habent, ad pœnam 10. aureorum. §. *1. I. de Obl. quæ quas. ex delict. L. 5. §. 6. & seq. h. t.*

Tit. IV.

De NOXALIBVS ACTIONIBVS.

§. 1.

SI ex privato servi delicto damnum datum est, datur læso actio noxalis, contra ejusdem dominum, ut vel damnum resarciat, vel servum noxæ dedat. §. *4. I. h. t. L. 19. pr. h. t.* Quæ actio hodie usum non præstat; nostri enim servi mercede conducti ex delictis suis ipsi obligantur, *L. 3. §. 2. L. 7. pr. Naut. caup. stab. L. 1. §. 5. de public.* nisi in officio deliquerint, ubi domini eatenus tenentur, quatenus in eorum electione culpam admiserunt. Arg. *L. 27. §. 9. ad L. Aquil. L. 11. Locat. conduct. L. 1. §. 5. Furt. adverf. naut. caup. & stab.*

Lib. X. Tit. I.

FINIVM REGVNDORVM.

§. 1.

SI inter illos, qui agros confines habent, termini sint confusi, datur ad eos discernendos, nec non ad præstationem ejus, quod interest, actio finium regundorum. §. *20. I. de action. L. 2.* §. *1. & 4. h. t.*

§. 2. Oritur hæc actio aliquando ex delicto, *L. 4.* §. *4. L. 8. pr. h. t.* interdum ex quasi contractu, *L. 4.* §. *1.* vi cujus possessores confusorum terminorum ex æquitate ad id, quod pro rata debetur, præstandum obligantur; estque hæc actio stricti juris; neque enim inter actiones bonæ fidei ab Imperatore refertur in §. *28. I. de Action.*

§. 3. Olim hæc actio tantum complectebatur confinium, quod erat spatium quinque pedum, inter duo prædia constitutum; *L. 3. pr. de Term. mot.* Hodie autem etiam de majori spatio intentatur. *L. penult. C. h. t.*

§. 4. Locum habet hæc actio tantum in prædiis rusticis, non urbanis; *L. 2. pr. &* §. *10. h. t.* nec de via publica, sed hujus intuitu *actio viæ receptæ* competit. *L. ult. de Via publ.*

§. 5. Qui hac actione experitur, solam possessionem prædii, & fines, quos asserit, probare tenetur.

§. 6. Quodsi Judex, ut aliquando fieri solet, per adjudicationem novos terminos constituat, statim a tempore rei judicatæ dominium transferri intelligitur. §. *ult. I. de Offic. Jud.*

§. 7. Actio hæc perpetua est, adeoque 30. annos durat. *L. ult. C. h. t.*

Tit. II.

FAMILIÆ HERCISCUNDÆ.

§. 1.

Actio familiæ herciscundæ datur inter cohæredes ad dividendam hereditatem ac præstationes personales faciendas: unde apparet, eam nec mere realem, nec mere personalem, sed mixtam esse. Nam quatenus datur ad dividendam hereditatem, est realis, quatenus vero ad præstationes personales tendit, est personalis, & ex quasi contractu, scilicet administratione hereditatis, oritur. §. 4. *I. de Oblig. quæ quasi ex contract. L. 22. §. 4. h. t.*

§. 2. Si reus neget, actorem cohæredem esse hic, si res hereditarias non possideat, hereditatis petitione eam qualitatem probare debet. *L. 1. §. 1. h. t.*

§. 3. Datur hæc actio adversus coheredem, etiam

iam invitum, cum nemo in communione permanere teneatur; *L. 43. h. t.* quamvis forte alter coheres minor sit, adeo, ut tali casu, cum minor a majori ad divisionem provocatur, ad alienationem immobilium nullo decreto opus sit. *L. 12. C. de Præd. minor.*

§. 4. Objectum hujus actionis sunt res hereditariæ, ac præstationes personales, quæ earum nomine debentur, non vero res titulo singulari communes, nam harum intuitu actio communi dividundo competit. *L. 25. §. 7. h. t. L. 45. h. t* Præterea ad ejus objectum directo non pertinent obligationes & nomina, quippe quæ ipso Jure inter coheredes active & passive divisa sunt, *L. 6. C. Famil. herciſc.* eo cum effectu, ut quisque coheredum tantum pro rata agere & conveniri possit. Vnde consequitur, ne quidem uno eodemque probandi genere opus esse, sive agant, sive conveniantur, sed posse v. gr. ab uno coheredum jusjurandum debitori deferri, & hinc nihilosecius eo præstito a reliquis cohæredibus pro sua rata conveniri, ac debitum testibus aliove modo probari, non obstante exceptione rei judicatæ, quippe quæ eundem actorem & reum præsupponit, cum hic in effectu tot actores sint, quot personæ heredum.

§. 5. Si heres actor intelligat, sibi totam hereditatem deberi, dimissa hac actione, hereditatis petitione experiri, ac integram hereditatem pete-

petere poteſt, cum inſtituta hac actione non protinus alterum in ſui præjudicium pro coherede agnoviſſe cenſeatur. *L. 37. h. t. junct. L. 21. §. 1. de Acquirend. vel amitt. poſſ.*

§. 6. Si hereditas per Judicem diviſa ſit, ſententia, quæ in rem judicatam tranſiit, non reſcinditur, licet falſo heredi aliquid adjudicatum fuerit; *L. 36. h. t. junct. Leg. 1. C. de Cond. indeb.* & immodica læſio ſubſit: *cit. L. 36. L. 4. C. de Re jud.* quod ſecus eſt in diviſione, privatim ab heredibus ſuſcepta, ubi etiam ob modicam læſionem agi ad corrigendam inæqualitatem, atque id, quod falſo coheredi adjudicatum, condictione indebiti repeti poteſt, *L. 3. C. Communia utriusque judic. L. 36. h. t.*

§. 7. In hoc judicio a coheredibus invicem evictio præſtanda eſt, quamvis ipſe teſtator diviſerit. *L. 77. §. 8. de Legat. 2.*

§. 8. De foro Saxonico notandum, quod eo caſu, quo duo Coheredes ſunt, major hereditatem dividat, minor autem jus eligendi habeat. *Carpz. P. 3. Conſt. 15. def. 2. & ſeq.*

§. 9. Præſcribitur huic actioni 30. annis *L. 1. §. 1. C. de Annal. except.* Lex eo ſcilicet tempore, quo quis hereditatem, non tanquam communem, ſed ſuam ac ſibi propriam poſſideri cœpit. *L. 14. §. 2. Commun. divid. L. ult. C. eod. L. 2. Pro ſoc.*

Tit. III.

COMMVNI DIVIDVNDO.

§. 1.

Sicuti actio familiæ herciſcundæ de re univerſali, ſcilicet hereditate dividenda, datur; ita illis, quibus res ſingularis communis eſt, adverſus ſe invicem actio communi dividundo competit. *L. 3. & 4. pr. & §. 3. h. t.*

§. 2. Hæc actio itidem mixta videtur: quatenus enim ad diviſionem rei communis tendit, ex jure in re, ſcilicet dominio, pignore aut uſufructu eſt; quatenus vero pro objecto præſtationes perſonales habet, ex quaſi contractu, nempe rei communis adminiſtratione, oritur. §. 3. *I. de Oblig. quæ quaſ. ex contract.*

§. 3. Datur uni, reliquis etiam diſſentientibus propter odium communionis, *L. ult. C. Commun. divid.* adeo, ut invalidum ſit pactum de perpetua communione ſervanda, nam ad certum tempus ejusmodi pactum iniri poteſt, *L. 14. §. 2. h. t.* add. *L. 14. ff. pro ſoc.* cujus Legis argumento patet, quod, ſicuti ſocietati, ad tempus initæ, ob juſtam cauſam v. gr. malos ſocii mores renunciare licet, ita idem in communione rerum ſingularium liceat

§. 4. Si in diviſione rei communis diſſenſio oriatur, fit licitatio, ac plus licitanti addicitur.

L. 13.

L. 13. C. h. t. extraneo tamen ſocius, idem offerens, potior eſt. Arg. *L. 34. §. 2. C. de Donat. L. 3. in fint. C. h. t.*

§. 5. Actio hæc perpetua eſt, *L. 1. C. de Annal. except.* ac ſæpius locum habet, cum ex adverſo familiæ herciſcundæ actio, non niſi ſemel in Judicium deduci poſſit. *L. 4. §. 2. h. t.*

Tit. IV.
AD EXHIBENDVM.

§. 1.

SI quis dubitet, utrum res, quam' petere inſtituit, apud alterum revera exiſtat, expedit prius, quam principalis actio moveatur, ad exhibendum agere, quæ actio eſt in rem ſcripta, & datur omnibus, quorum intereſt, adverſus poſſeſſorem, ad rem exhibendam, ſeu in publicum præferendam. *L. 2. & 3. §. 9. & ult. h. t.*

§. 2. Fundamentum hujus actionis eſt naturalis æquitas, quæ præcipit, ut id ab altero mihi præſtetur, quod ipſi haud nocet, & mihi prodeſt. *L. 2. §. 5. de Aqua & aqua pluvia arcend.*

§. 3. Verſatur non ſolum circa res mobiles', ſed etiam immobiles, quæ forte actori incognitæ ſunt. Nec vero reus rem exhibitam reſtituere tenetur, ſed tunc principali judicio experiundum actori eſt, niſi fortaſſe reus bonam fidem

ignо-

agnoscat, & principali judicio contendere nolit. §. 3. I. de Offic. jud.

§. 4. Actio hæc moribus hodiernis abrogata haud est, licet ejus loco sæpius nuda imploratio officii Judicis adhiberi, & mandata compulsorialia impetrari soleant.

Lib. XI. Tit. I.

De INTERROGATIONIBVS IN JVRE FACIENDIS ET INTERROGATORIIS ACTIONIBVS.

§. 1.

OLim apud Romanos coram Prætore adversarium interrogare super futura actione licuit, tum, ut faciliores actori probationes fierent, tum, ut pœnam plus petitionis evitaret, ex qua interrogatione & secuta responsione, vera, vel ficta, dabatur actio interrogatoria, tanquam ex quasi contractu, quæ deinceps ab usu recessit. L. 1. §. 1. h. t.

§. 2. Hodie igitur interrogationes non amplius ad fundandam, sed tantum ad probandam actionem instituuntur. L. 4. §. 1. h. t. Fiunt autem vel a Judice, etiam ex officio, facta licet a partibus con-

concluſione in cauſa, *Cap. 10. X. de Fid. inſtrum.* cum hæc judici poteſtatem non adimat interrogandi, quippe cui nunquam in cauſa concluditur: vel a partibus per poſitiones; *Cap. 2. de Confeſſ. in 6.* quæ probatæ ſunt per *Rec. Imp. de Anno 1654. §. 27.*

§. 3. Sunt autem poſitiones nihil aliud, quam certa capita intentionis litigantium, ad quæ adverſarius vel affirmando, vel negando reſpondere tenetur. Harum in foro Saxonico uſus non eſt, ſed alibi multis in locis frequentantur.

§. 4. Conſiſtit autem poſitionum utilitas cumprimis in eo, quod per illas onus probandi vel prorſus declinari, vel facilius reddi poſſit. Poſteaquam enim reus ad libellum negative, ut fere fieri ſolet, reſpondit, in Saxonia per teſtes vel documenta actori probatio ſuſcipienda eſt, cum ex adverſo, in foro communi, actor capita libelli, a reo in litis conteſtatione negata, in certas poſitiones redigat, ad quas deinde, mediante juramento, quod reſpondendorum vocatur, reus reſpondere tenetur, qua ratione jurisjurandi religione adactus multa affirmabit atque fatebitur, quæ prius in litis conteſtatione negaverat.

§. 5. Permittuntur autem non ſolum actori poſitiones, quæ tales in ſpecie dicuntur, ſed etiam reo intuitu exceptionum, quæ defen-

fensionales audiunt. *Rosbach. in Pr. Crim. tit. 51. n. 4.*

§. 6. Positiones debent esse simplices, perspicuæ & pertinentes, & quantum fieri potest, non nisi uno membro constantes.

§. 7. Sicuti vero, ut dictum, positiones regulariter post litem contestatam ante susceptas probationes fiunt, *Cap. un. X. de Litis contest.* ita etiam quoad exceptiones dilatorias ante litem contestatam formari queunt.

§. 8. Differunt positiones ab articulis probatorialibus, quippe qui eo fine formantur, ut per testes, vel documenta probentur, non vero per adversarii responsionem, unde alia etiam notabilis differentia emergit, quod is, qui positiones exhibet, omnia, quæ illis continentur, fateri censeatur, quod in articulis probatorialibus secus est. Vid. *Gail. Lib. 1. Gail. in Obs. 79. n. 6. & 7. Carpz. Proc. tit. 13. art. 4. n. 6.*

Tit. II.

De
QVIBVS REBVS AD EVNDEM JVDICEM EATVR.

§. 1.

CAutum in hoc titulo est, quod controversiæ propter continentiam, seu cohærentiam non dividi, sed coram eodem Judice ventilari

debeant, quia sic breviſſime & commodiſſime terminari poſſe videntur. *L. 10. C. de Judic.*

§. 2. Continentia vero cauſarum deſcendit (1) ex generalitate actionis, quæ contra plures perſonas, vel ob res diverſæ Jurisdictioni ſubjectas competit, talis enim actio recta coram omnium proxime ſuperiori Judice inſtitui poteſt; *L. 1. & 2. h. t. L. 5. C. Arbitr. tutel.* Sic ſi Princeps cum ſubditis ſuis ſimul una actione conveniatur, ſtatim Camera Imperialis, præterito Auſtregarum Judicio, quod alias ratione Principum Imperii forum primæ inſtantiæ conſtituit, adiri poteſt; vid. *Rec. Deput. de Anno 1600. §.* Gleichermaſſen, wenn einer. ſic etiam mandans & mandatarius diverſæ licet jurisdictioni ſubſint, coram eodem Judice proxime ſuperiori, injuriarum actione recte conveniuntur.

§. 3. Quodſi tamen actor fraudulenter, eoque animo alium adjungat, ut reum beneficio primæ inſtantiæ privet, datur huic exceptio doloſæ adjunctionis, qua probata ad Judicem primæ inſtantiæ cauſa remittenda eſt, *Gail. Lib. 1. Obſ. 32. n. 2.*

§. 4. Præterea (2) continentia cauſarum venit ex ſingulari connexione juris & facti. Sic quæſtio de matrimonio regulariter cognitionis Eccleſiaſticæ eſt, ſed ſi forte uxor in concurſu ſuper bonis mariti ſui dotem repetat, creditores autem eam uxorem eſſe negent, coram eodem Magi-

Magistratu seculari eadem quæstio terminanda est. Pari modo cohærere intelliguntur causæ, principalis & præjudicialis, item petitorium & possessorium. *L. 10. C. de Jud. Cap. 1. X. de Cauſ. proprier. & poſſeſſ.*

§. 5. Ob ejusmodi continentiam olim causæ necessario conjungi debebant, adeo, ut is, qui dolose eas divideret, officio judicis puniretur. *cit. Leg. 10.* Hodie vero non amplius necessitatis est, habet tamen reus exceptionem continentiæ, quæ cum dilatoria sit, ante litem contestatam opponenda est, alias reus eidem renunciasse intelligitur. *Mynsing. Cent. 1. Obs. 97.*

Tit. III.

De

SERVO CORRVPTO.

§. 1.

SI quis dolose servum alienum deteriorem quoad animum reddiderit, Prætor contra ipsum dat actionem de servo corrupto, ad duplum ejus, quod actoris interest, præstandum. *L. 1. pr. L. 9. §. 2. h. t.*

§. 2. Actio hæc hodie usum directo non præstat, utiliter tamen applicatur patri, marito, nec non domino, si forte liberi, uxor, aut famuli corrupti fuerint, quamvis plerumque quantitas ejus, quod interest, difficilis probationis sit, ubi

interdum actori juramentum a judice, quo mediante Intereſſe ſuum æſtimet, deferri poteſt.

Tit. IV.

De FVGITIVIS.

§. 1.

FVgitivus eſt, qui ea mente diſcedit, ne ad dominum redeat; *L. 7. §. 1. de Ædilit. Edict.* in eoque ab Errone differt, qui animum revertendi habet.

§. 2. Qui olim apud Romanos fugitivum ſervum receperat, atque celaverat, furti tenebatur, *L. 1. pr. h. t.* ipſumque ſervum cum alio ſimili vel 20. ſolidis reddere debuit, ſecunda tertiaque vice pœna duplicabatur & triplicabatur. De eo, qui ſervum fiſci celat, vid. *L. penult. C. h. t.* nec non de modo inquirendi fugitivos. *L. 2. C. h. t.*

§. 3. Titulus hic directo hodie uſum non habet, quod ſi tamen homines proprii fugam capeſſant, eos perſequi, & apprehenſos Judici illius loci, ubi deprehenſi ſunt, carceri mancipandos tradere licet. arg. *L. 2. C. de Serv. fugitiv. L. 10. §. 16. ff. Quæ in fraud. credit.*

§ 4. Datur etiam intuitu hominum propriorum vindicatio utilis, arg. *L. 7. C. de Agricol. & Cenſitic.* nec non remedium poſſeſſorium ex *L. 14. C. eod.*

§. 5.

§. 5. Si Famuli nostri mercede conducti ante finitum tempus conductionis discedant ex causa injusta, Jure Civili ne quidem præcedentis temporis integra merces debetur, *L. 15. & 16. Locat. Conduct.* sed permissum est domino id, quod interest, deducere, arg. *cit. L.* §. *8.* In Saxonia autem omne jus mercedem etiam præteritam petendi amittunt; vid. Land-R. *Lib. 2. tit. 32.* Landes-Ordn. *de Anno 1550. tit.* vom Gesinde-Lohn. §. Wir ordnen. *Corp. Jur. Sax. p. 29.* Add. *Carpz. P. 2. Const. 51. Dec. 13.* Sin autem causam discedendi justam habeant, integra iisdem merces, etiam futuri temporis, præstanda est, cum per ipsos non stet, quo minus contractum locationis ex sua parte adimpleant. Add. Land-R. *Lib. 2. art. 32.* Landes-Ordn. *d. loc.*

Tit. V.

De ALEATORIBVS.

§. 1.

Occasio de aleatoribus hic agendi est corruptio servorum & filiorumfamilias.

§. 2. Alea autem est ludus, quo inter duos pluresve de victoria certatur. Dividitur (1) in gratuitum & non gratuitum, *L. 4. ff. h. t.* cujus species est Lotaria & olla fortunæ, quæ inter prohibitos ludos refertur in *Ord. Pol. Sax. tit. 8.* §. *ult.*

ult. (2) Ludus est vel artis, vel fortunæ, vel mixtus; ille a sola arte, iste a sola fortuna, hic ab utraque dependet.

§. 3. Ludi artis sine dubio liciti sunt; sed ludi fortunæ & mixti, quamvis Jure Naturali permissi, tamen ob utilitatem Reipublicæ prohibiti sunt, *L. ult. C. h. t.* unde victori denegatur actio, *cit. L. ult.* nec non creditori, qui alteri, ut luderet, mutuo dedit, sive sit collusor, *L. 1. §. 1. h. t.* sive aleatorum receptator, arg. *cit. L. 1.* sive tertius aliquis, quia statim perdituro credidit. arg. *L. 12. §. 11. ff. Mandat. L. 8. ff. Pro emtor.* Clericus quoque, si vel maxime tantum spectator ludi fuerit, tribus annis ab officio suspenditur. *Auth. Interdicimus C. de Episcop. & Cleric.*

§. 4. Aleatorum receptatores injuriam sibi factam, aut damnum, tempore lusus illatum, vindicare haud possunt, *L. 1. §. 2. ff. h. t.* domus eorum publicari jubetur; *L. ult. C. h. t.* a quo rigore Jus Ssxonicum recedit, & mulctæ vel carceris pœnam substituit. Vid. *Ord. Pol. tit. 8.* §. Welcher.

§. 5. Victus, qui ludendo perdit, solutum repetere potest per condictionem ex *L. ult. C. h. t.* quæ 50. annos durat, nec hodie abrogata est, ne quidem in Saxonia, licet id velit *Carpz. lib. 6. Resp. 96.*

§. 6.

§. 6. Pertinent huc etiam sponsiones, die Wetten, quæ regulariter omni jure licitæ sunt, neque enormis læsionis prætextu rescinduntur ex *L. 2. C. de Rescind. vendit.* modo non sint captiosæ, & dolus absit.

§. 7. Datur ex sponsionibus actio ex stipulatu, vel condictio ex moribus, prout nempe per stipulationem vel pactum nudum sunt initæ, aliquando etiam competit actio præscriptis verbis, si nempe aliquid datum sit ea Lege, ut vel solum, vel cum re alia vincenti restituatur, qui est contractus do, ut des. *L. 12. §. ult. de Præscript. verb.*

Tit. VI.

SI MENSOR FALSVM MODVM DIXERIT.

§. 1.

SI mensor modum, v. gr. agri, falso renunciaverit, datur contra ipsum actio in factum ad id, quod actoris interest. *L. 1. §. 3. h. t.*

§. 2. Hæc actio Jure Civili nonnisi ex dolo vel lata culpa datur *L. 1. §. 1. & ult. h. t.* non ergo ob imperitiam *cit. L. 1. §. 1.* quod olim ex amicitia tantum mensio fieret, non vero essent, qui publice eam artem profiterentur; quod cum hodie secus sit, imperitia culpæ merito accensetur, adeoque huic actioni locum facit.

§. 3. Datur hæc actio tantum in subsidium, si

nempe restitutio damni per eum, cum quo quis contraxit, fieri nequeat. *L. 3. §. 2. & L. 35. §. 1. h. t.* Vtiliter etiam contra omnes competit, qui in modo renunciando fefellerunt, v. gr. Calculatores.

§. 4. Cum hæc actio ex delicto sit, *L. 3. §. 5. h. t.* non datur contra heredem, nisi forte per contractum v. gr. locationis & conductionis mensor adhibitus sit, ex hoc enim sine dubio heredes quoque tenentur. *L. 13. C. de Contrab. & committ. stipulat.*

§. 5. Quamvis autem hæc actio prætoria & ex delicto sit, tamen 30. annos durat, quia principaliter ex negotio commisso oritur, ac delictum demum supervenit. *L. 4. ff. h. t.*

§. 6 Denique observandum est, quod sententia, ad falsam renunciationem mensoris lata, semper impugnari possit, si contrarium ex oculari inspectione ostendatur, cum talis sententia non transeat in rem judicatam, sicuti nec ulla alia, quæ ex peritia artificum lata est. Vid. *B. Stryk. Annotat. ad Lauterb. h. t. in fin.*

Tit. VII.

De

RELIGIOSIS ET SVMTIBVS FVNERVM, ET VT FVNVS DVCERE LICEAT.

§. 1.

§. 1.

APud Romanos locus, in quem quis mortuum intulisset, religiosus fiebat. Jure Canonico autem & hodie hoc fine cœmeteria constituta sunt.

§. 2. Est vero sepultura vel honesta, vel inhonesta; illa est, quæ secundum cujusque loci consvetos ritus fit; hæc vero est, ubi consvetæ ceremoniæ adhiberi non possunt; estque vel inhonesta in specie, quæ fit in loco extra cœmeterium vel in loco ejus remotiori & inhonesto, vel asinina seu canina, quæ fit a carnifice in loco inhonesto, qua ratione cadavera reorum, qui de capitali crimine confessi & convicti mortui sunt, sepeliuntur.

§. 3. Contra eum, qui mortuum infert, ubi Jus sepeliendi non habet, datur actio in factum, vel ad mortuum tollendum, vel ad pretium loci præstandum, quæ hodie ad sepulchra hereditaria Erb-Begräbniße, item familiaria, Geschlecht-Begräbniße applicari potest. Vid. *Dn. Stryk. ad Brunnem. Jus Eccles. L. 2. c. 2. §. ult. Verb. Certæ familiæ.*

§. 4. Si quis impediatur mortuum inferre in eum locum, ubi jus inferendi habet, uti potest vel interdicto de mortuo inferendo, vel alio inferre, ac deinceps actione in factum ad omne Interesse experiri, quæ actio cum mere rei persecutoria sit, etiam heredi competit, non obstan-

te *L. un. b. t.* ibi enim JCtus id miratur, quod ipse non approbat.

§. 5. Si quis sumtus in alienum funus impenderit, eos repetit actione funeraria, licet heres prohibuerit. *L. 14. §. 13. b. t.*

§. 6. Datur etiam contra maritum, sed in subsidium demum, & salvo beneficio competentiæ. *L. 28. b. t.*

§. 7. Jure Civili in hanc actionem veniunt solum sumtus necessarii. *L. 14. §. 3. & 4. b. t.* Hodie vero omnia, quæ secundum cujusque loci consuetudinem communiter impendi solent arbitrio Judicis, nec non salaria Chirurgorum, Medicorum &c. ratione ultimi morbi, quo defunctus occubuit.

§. 8. Actio hæc coram Judice seculari instituitur; *L. 1. b. t.* Cognitio autem super ipso Jure sepeliendi est Judicis Ecclesiastici. *Can. 13. Quæst. 2.*

Tit. VIII.

De
MORTVO INFERENDO ET SEPVLCHRO ÆDIFICANDO.

§. 1.

PRoponuntur in hoc titulo duo interdicta, unum de mortuo inferendo, alterum de sepul-

sepulchro ædificando: priori Prætor prohibet, ne quis impediatur mortuum inferre eum in locum, ubi jus inferendi habet, *L. 1. pr. & §. 4. h. t.* posteriori prohibet, ne vis fiat ei, qui monumentum aut sepulchrum exstruit. *L. 1. §. 5. & 6. h. t.*

Lib. XII. Tit. I.

De
REBVS CREDITIS, SI CERTVM PETATVR, ET DE CONDICTIONE.

§. 1.

SEquitur tertia pars Pandectarum, quæ de Judiciis personalibus, maxime ex contractibus, agit.

§. 2. Crediti vox sumitur vel in genere, qua ratione omnes contractus, quos alienam fidem secuti, inimus, comprehendit, *L. 1. ff. h. t. junct. L. 11. ff. de V. S.* vel in specie pro mutuo, & sic est contractus realis, quo res fungibilis ita datur, ut dominium ejus in accipientem transeat, idemque ad tantundem in eadem qualitate restituendum teneatur. *L. 3. ff. h. t.*

§. 3. Mutuum fit consensu & rei traditione, quia est contractus realis.

§. 4. Contrahunt mutuum omnes, qui domini sunt, & res suas libere administrant, sive priva-

privati sint, sive civitates seu Vniversitates, quæ tamen non aliter ex mutuo obligantur, quam si per actorem speciali mandato instructum, arg. *L. 1. §. 1. ff. Quod cujusque Vniversit. nom.* vel per eos, penes quos liberum civitatis regimen est, arg. *L. 3. ff. eod.* illud contraxerint. Secus ergo est, si Administratores soli mutuum acceperint, tum enim civitas non aliter obligatur, quam quatenus pecunia in ejus utilitatem versa est, *L. 27. ff. h. t.* ipsi tamen una cum heredibus suis sine dubio tenentur. *cit. Leg. 27.*

§. 5. Atque hoc non solum de illis civitatibus verum est, quæ regalia habent, sed etiam de municipalibus; & obligandi facultas penes Senatum & Tribunos plebis aut Magistros Collegiorum esse solet. Vid. *Struv. Ex. ad Pandect. h. t. th. 18. Schilter. Exerc. 22. th. 19.*

§. 6. Si mutuum a non domino datum sit, vel nummi adhuc extant, & a domino vindicari possint, vel bona fide consumti sunt, & habet dominus condictionem ex mutuo vi cessionis, *L. 2. C. h. t.* nisi nomine domini pecunia ab altero numerata sit, tunc enim actio etiam sine cessione domino acquiritur. *L. 2. C. Per quas pers. cuiq. acquirit.*

§. 7. Quod si quis libera rerum suarum administratione destitutus, mutuo dederit, negotium ex postfacto convalescere potest, vel per consumtionem, §. *ult. I. Quib. alien. lic. vel non.* vel pro-

propter supervenieus dominium, *L. 8. h. t.*

§. 8. Oritur ex contractu mutui condictio certi ex mutuo, scilicet ad rem ipsam creditam in eadem quantitate & qualitate repetendam; nam hic usuræ Jure Civili non debentur, nisi per stipulationem promissæ sunt, *L. 14. de Præscript. verb. L. 3. C. de Vsur.* Hodie vero etiam ex pacto & mora. Vid. *Rec. Imp. de Anno 1654. §. 17.* Anreichend die künfftige Zinsen ꝛc.

§. 9. Actio hæc perpetua est, & locum habet, licet res mutuo data casu fortuito perierit, hunc enim propter dominium translatum creditor ferre tenetur. *L. 11. C. de Reb. cred.*

§. 10. In eodem hoc titulo de literarum obligatione agi solet, quæ oritur ex peculiari contractu, qui literis perficitur, indeque Chirographarius audit, ex quo descendit condictio ex Chirographo, cujus fundamentum sunt literæ.

§. 11. Actio tamen ex Chirographo intra biennium non aliter efficax est, quam si creditor seu actor numerationem pecuniæ probet. *L. 14. C. de Non numerat. pecun.* Post biennium vero simpliciter efficax est, quamvis debitor pecuniam sibi haud numeratam esse, probare velit, *cit. L. 14.* adeoque nec exceptio doli generalis amplius locum habet, quippe quæ diutius dari nequit, quam exceptio non numeratæ pecuniæ, exceptio

ceptio autem doli ſpecialis, cujus peculiares circumſtantiæ afferendæ ſunt, etiam poſt biennium perpetuo locum habent, atque hoc Jure in Saxonia utimur.

Tit. II.

De JVREJVRANDO SIVE VOLVNTARIO, SIVE NECESSARIO, SIVE JVDICIALI.

§. 1.

JVsjurandum eſt religioſa Divini Nominis invocatio, in majorem fidem rei, de qua agitur, facta, ut ipſe ultor & vindex perfidiæ ſit.

§. 2. Juramenta non temeraria omni jure licita ſunt, & præſtari vel per ſe, ſeu in perſona, vel procuratorem ſpeciali mandato inſtructum poſſunt. *L. 9. §. penult. L. ult. h. t. Cap. 4. de Procurat. in 6.* modo & deferens & Procurator velint; arg. *L. 3. §. ult. h. t. L. 12. §. 4. C. h. t.* In foro Saxonico tamen omnia juramenta ab ipſis principalibus in perſona præſtanda veniunt. *Carpz. P. 1. Conſt. 12. def. 39.*

§. 3. Jurare poſſunt regulariter omnes nullo ſexus aut ætatis diſcrimine, adeo, ut etiam pupillis ab adverſario juramentum deferri poſſit, quamvis enim perjurium non facile in eos cadat, *L. 26. pr. h. t.* ob vim transactionis tamen, quæ

in

in ejusmodi dilatione subest, admittuntur, si velint, nam inviti cogi non possunt, qua ratione intelligo *L. 34. § 2. h. t.* Hodie autem in Saxonia ne quidem volentibus pupillis jurare permittitur, sed præstatio juramenti usque ad plenam pubertatem, h. e. annum 18. completum, differri solet. Quodsi tamen delatum connivente Judice a pupillo de facto præstitum sit, non dubito, illud etiam in Saxonia vim transactionis hodienum obtinere. Add. *Huber. Præl. ad Pandect. h. t. th. 10. in Respons.*

§. 4. Juramentum, sive promissorium, sive confirmatorium sit, Jure Civili negotio, cui accedit, nihil novi addit, sed ejus naturam sequitur, adeoque contractus invalidus per illud non convalescit. *L. 5. in fin. C. de Legib. L. 7. §. 16. de Pact.* Jure Canonico autem omne Jusjurandum, quod non in præjudicium tertii aut salutis æternæ vergit, servari jubetur, *Capit. 28. X. de Jurejur.* adeoque illo jure omnia negotia, quæ tantum civiliter, non vero naturaliter turpia sunt, ex Jurejurando robur accipiunt, in eoque mores hodierni Jus Canonicum sequuntur.

§. 5. Traduntur autem in hoc titulo inprimis tres celebres juramenti species, quæ in ipsa Rubrica recensentur, scilicet voluntarium, judiciale & necessarium.

§. 6. Voluntarium est, quod per modum conventio-

ventionis extra judicium a parte parti defertur, quod suscipere, ex libera voluntate ejus, cui delatum est, dependet, ex eoque nomen accepit; unde nec referri, nec a deferente juramentum de calumnia exigi potest. Oritur ex hac juramenti specie actio vel exceptio jurisjurandi. *L. 17. pr. L. 9. §. 1. L. 28. §. ult. h. t. §. 11. I. de Action.* Hodie rara hujus actionis exempla sunt, cum non facile quis extrajudiciali alterius juramento causam committat, quod tamen propterea haudquaquam abrogatum aut prohibitum est.

§. 7. Juramentum necessarium est, quod a Judice litis decidendæ causa defertur; estque vel purgatorium, vel suppletorium.

§. 8. Suppletorium juramentum est, quod Judex in casu semiplenæ probationis defert, ut veluti id, quod probationi deest, ejus præstatione suppleatur. In arduis tamen & magni momenti causis, e. gr. matrimonialibus, non aliter juramento huic locus est, quam si adsit probatio semiplena major. *Stryk. in Us. Mod. Pand. h. t.*

§. 9. Contra præstitum hoc juramentum locus est contrariæ probationi, quæ tamen per instrumenta noviter reperta fieri debet; testes enim hic non admittuntur per *Leg. 31. h. t.* quamvis aliter sentiat *Gail. Lib. 2. Obs. 94.*

§. 10. Juramentum purgatorium, der Reinigungs-Eyd, est, quod suspicionibus gravatus judice

Judice jubente præstat, adeoque ab illis sese purgat. *Cap. ult. in fin. X. de Jurejurand. cap. §. X. de Purgat. Canonic.*

§. 11. Aliquando ei, qui hoc juramentum præstat, Compurgatores, qui & Sacramentales audiunt, accedunt. Quod in Saxonia usu non observatur.

§. 12. Vt juramento huic locus sit, requiritur, suspicionem per alias probationes haud esse elisam, quæ tamen ad suppletorium haud sufficiat, qualis non est confessio stupri, quando de promissione matrimonii agitur.

§. 13. Juramentum hoc masculo & fœminæ in eadem causa injunctum, ab illo prius præstatur, quia in fœminis major animi levitas præsumitur, adeoque major etiam perjurii metus adest. *Carpz. P. 1. Const. 22. def. 18.*

§. 14. Qui juramentum hoc præstitit, in causa principali absolvitur, ab expensis autem non aliter, quam si nullum factum illicitum supersit, ubi vel confessus, vel convictus sit, *Lauterb. ad h. t.* Cujus sententiam Collegia Vitembergensia constanti usu tenent.

§. 15. Sequitur juramentum judiciale, quod a parte parti in Judicio defertur. *L. 12. pr. h. t.*

§. 16. Locum habet hoc juramentum, quamvis deferens nihil omnino probaverit, cum satis sit, eundem de calumnia jurare, *L. 35. pr. h. t.*

cui non obstat *L. 4. C. de Edend.* ubi reus, actore non probante, absolvendus esse dicitur, nam & juramenti delatio species probationis late sic dictæ est.

§. 17. Deferri potest Jure Civili juramentum usque ad sententiam, adeoque actor, qui probationem per testes aut documenta suscepit, ab ea rursus desistere, atque ad delationem juramenti confugere potest; arg. *L. 11. & 12. C. de Reb. credit.* In foro Saxonico autem actor tantum usque eo, donec vel guaranda præstita, vel lis pure contestata sit, juramentum deferre potest, idemque de replica dicendum, si nempe libello inserta, ejusdemque pars facta sit.

§. 18. Locum habet juramenti delatio in omnibus causis, etiam ubi dolus alterius arguitur, modo civiliter agatur, omnesque delicti circumstantiæ exprimantur, ut via defensioni conscientiæ per probationes pateat.

§. 19. Quocirca liquet, in puncto Juris etiam super promissione matrimonii non minus neganti, quam affirmanti deferri posse, cum id nulla lege prohibitum sit, ac in favorem potius quam odium matrimonii cedat. nam nec is, qui omnibus aliis probationibus destitutus est, ut sæpissime fieri solet, juramenti delatione sibi consulere potest. Enimvero praxis contrarium principium, quod nempe neganti non possit juramentum super promissione matrimonii deferri,

ferri, recepit, idemque tam altas radices egit, ut frustra quis idem eliminare tentet: quæ praxis hac ratione defenditur, quod in delatione juramenti subsit transactio, quæ contra matrimonium interdicta est; ad quam tamen facilis responsio fuerit, cum prohibitio transactionis hujusmodi ad extrajudicialem solum pertineat, non vero de judiciali, quæ per juramenti delationem fit, capienda veniat.

§. 20. Is, cui juramentum est delatum, illud vel referre, vel conscientiam per probationes defendere, vel jurare tenetur. Contra præstitum vero perjurii quæstio quoad Interesse privatum cessat, licet inquisitioni ansam præbere possit, arg. *L. 19. C. de Transaction. junct. L. 2. h. t.* ex eoque oritur actio vel exceptio rei judicatæ.

§. 21. Pertinet huc etiam juramentum calumniæ, quod vel generale est, vel speciale. Illud super tota causa præstatur, *L. 1. 2. pr. L. penult. C. de Jurejur. propt. calumn. dand. Nov. 49. cap. ult.* quod in Camera aliisque locis hodienum in usu est. Vid. *Recess. Imp. de anno 1654. §. 43.* In Saxonia autem ab usu recessit, speciale autem juramentum calumniæ, quod & malitiæ dicitur, in quovis processus articulo, quoties præsumtio calumniæ emergit, locum habet.

§. 22. Præterea hujus loci est juramentum perhorrescentiæ, quo quis asseverat, se valde timere, ut ab inferiori Judice justitiæ administratio-

nem impetret, quod nec in Saxonia abrogatum, atque ad illud non minus reus, quam actor admittitur, cum pinguius hoc juramentum sit, quam exceptio suspecti judicis, cum ibi causas suspicionis allegasse sufficiat, hic autem illæ probandæ veniant.

§. 23. Juramentum appellationis, quod quibusdam in locis ab Appellantibus præstandum, in foro Saxonico itidem exolevit, contra apud eos in usu est juramentum diffessionis, quo recognitio documentorum declinatur, quippe quæ vel recognoscenda, vel jurato diffitenda sunt.

Tit. III.

De
IN LITEM JVRANDO.

§. 1.

JVramentum in litem est, quo judice deferente res in judicium deducta ab actore æstimatur. *L. 1. & t. t. hic.*

§. 2. Estque vel affectionis, vel veritatis. Illud dicitur, quo actor pro suo arbitrio & affectione etiam ultra verum rei pretium & Interesse, ob dolum & contumaciam rei, litem æstimat, *L. 1. §. 1. 2. L. 8. h. t.* Locum habet hoc juramentum in actionibus bonæ fidei directis, non etiam contrariis, *L. 5. pr. depos. L. 6. §. ult. de His, qui notant. infam.* item in judiciis arbitrariis, tam perso-

personalibus, v. gr. actione doli & metus causa, *L. 18. pr. de Dol. mal.* quam realibus, ut rei vindicatione; *L. 46. de Rei vindic.* non vero locus eidem est in judiciis stricti juris, in quibus, nec non in judiciis bonæ fidei contrariis, lis, quanti revera est, seu quanti actoris vere interest, secundum communem valorem æstimatur, quod est juramentum in litem veritatis.

§. 3. Addunt aliqui juramentum in litem singularis Interesse, seu affectionis extra rem, quod nec Leges, nec usus fori agnoscunt.

Tit. IV.

De CONDICTIONE CAUSA DATA, CAUSA NON SECUTA.

§. 1.

Condictio causa data, causa non secuta, est, qua id, quod ob causam futuram, eandemque honestam, in alium translatum est, ea non secuta, repetitur.

§. 2. Fundamentum hujus actionis est quasi contractus, ob præsumtum ex æquitate consensum. *L. 3. §. 7. h. t. L. 13. §. ult. in fin. Commod.*

§. 3. Datur hæc actio, si aliquid ob causam futuram, quæ speciatim exprimenda est, translatum fuerit; qualis etiam est, cum res in dotem data, arg. *L. 3. L. 21. de Jur. dot.* non ergo competit ob causam præteritam. *L. 52. de Condict. indeb.*

deb. Vnde venditor ob pretium non solutum rem traditam hac actione repetere nequit. *L. 8. C. de Contrahend. emtion. L. 14. C. de Rescind. vendit.*

§. 4. Objectum hujus condictionis sunt omnes res, etiam immobiles & incorporales. *L. 4. C. h. t.*

§. 5. Repetitur hac actione res cum accessione & fructibus, *L. 7. §. 1. L. 12. h. t.* non vero usuris. Arg. *L. 24. de Præscript. verb. L. 3. C. de Usur.*

Tit. V.

De CONDICTIONE OB TVRPEM VEL INJVSTAM CAVSAM.

§. 1.

COndictio ob turpem causam est actio personalis, per quam id, quod ob causam ratione solius accipientis turpem datum est, repetitur.

§. 2. Oritur ex quasi contractu, & supponit, turpitudinem tantum ratione accipientis subesse, *L. 1. §. 2. L. 4. §. 2. ff. h. t.* nam si utriusque & dantis & accipientis turpitudo concurrat, melior est conditio possidentis, & repetitio cessat. *L. 1. §. ult. L. 3. 4. §. 2. h. t.* quamvis hoc casu turpe ejusmodi lucrum fisco vindicari debere videatur

atur. *L. 9. in fin. de Jur. fisc. L. 32. §. ult. de Donat. inter vir. & ux.*

§. 3. Condictio ob injustam causam est actio personalis, per quam id, quod ex causa injusta ad alterum pervenit, repetitur; *L. 6. h. t.* v. gr. fructus a malæ fidei possessore consumti. *L. 2. C. de Condict. ex Leg.*

Tit. VI.

De CONDICTIONE INDEBITI.

§. 1.

Condictio indebiti sumitur vel in genere, prout cum aliis condictionibus concurrit, vel in specie, uti hoc loco, & est actio, per quam indebitum per errorem solutum repetitur.

§. 2. Fundamentum ejus est consensus præsumtus. §. *6. in fin. I. de Oblig. quæ quasi ex contr. oriunt. l. 5. §. 2. de Oblig. & action.*

§. 3. Requiritur ad hanc condictionem, (1) ut solutum sit indebitum, seu id, quod naturaliter non debebatur; sufficit enim ad eam excludendam obligatio naturalis, Jure Civili non prorsus reprobata; debitum enim & indebitum ex naturali ratione, & æquitate hic æstimandum venit. *L. 15. pr. L. 66. h. t.*

§. 4. Requiritur (2) ut solutio facta sit ex er-

rore; qui enim sciens indebitum solvit, ejus repetitionem non habet, sed illud donasse censetur. *L. 53. ff. de R. J.*

§. 5. Error autem facti esse debet; qui enim in jure errat, pro sciente habetur, *L. 10. de Jur. & fact. ignorant.* exceptis casibus, quibus jus ignorare licet, quos vide apud *Lauterb. h. t. p. 203.* Dubitans hic itidem pro errante habetur. *L. ult. C. h. t.*

§. 6. Actor probare debet solutionem, ut & regulariter, quod indebite facta sit, *L. 45. in fin. & L. 25. pr. ff. de Probat.* nisi reus ab initio statim, se aliquid accepisse, negaverit, tunc enim mendacii convictus, hanc pœnam luit, & illud, quod solutum est, debitum fuisse, indistincte probare debet. *L. 25. pr. de Probat.*

§. 7. Cessat hæc condictio (1) si indebitum ex tali causa solutum sit, in qua lis inficiando crescit; *L. 4. C. h. t. §. ult. I. de Oblig. quæ quas. ex contr.* (2) si quid transactionis causa datum fuerit; *L. 65. §. 1. ff. h. t.* quando pietatis causa subest. *L. 32. §. 2. h. t.*

Tit. VII.

De
CONDICTIONE SINE CAUSA.

§. 1.

§. 1.

Condictio sine causa est, per quam quis rem suam, apud alium sine culpa existentem, repetit.

§. 2. Oritur ex æquitate, & præsumto consensu, & interdum cum aliis condictionibus concurrit, interdum vero sola competit. Vid. *L. 2. ff. & C. h. t. L. 25. §. 1. de Furt.*

Lib. XIII. Tit. I.

De

CONDICTIONE FVRTIVA.

§. 1.

Condictio furtiva est, per quam res furtiva a fure, ejusque heredibus repetitur. *L. 5. L. 7. pr. & §. 1. h. t.*

§. 2. Condictio hæc plane irregularis est, quippe quæ præter indolem condictionum ipsi domino datur, ut eo pluribus fur actionibus teneatur. *§. 14. I. de Action. L. ult. in fin. Usufruct. quemadm. cav.*

§. 3. Datur hæc actio ad rem furtivam, aut, si non amplius extet, ad ejus æstimationem consequendam, *§. ult. I. de Oblig. quæ ex delict.* & quidem non tantum contra furem, sed & illius heredes in solidum, quamvis nihil ad eos ex furto pervenerit, *L. 7. §. 2. & 9. h. t.* propter mo-

ram restituendi, in qua fur perpetuo esse intelligitur. *L. 8. §. 1. l. ult. h. t.*

§. 4. Cum actio hæc mere rei persecutoria sit, *L. 7. §. 1. & 2. h. t.* concurrit cum actione furti ceu mere pœnali cumulative, §. *ult. I. de Oblig. quæ ex delict.* cum rei vindicatione autem, quæ & ipsa rem persequitur, elective. *cit. §. ult. L. 7. §. 1. h. t.*

§. 5. Præterea patet, condictioni huic locum esse, quamvis fur ultimo supplicio sit affectus, cum pœna publica Interesse privatum non tollat. *L. 7. §. 1. h. t. L. un. C. Quand. civ. act. crim. præjud.* Quod in foro Saxonico secus est, ubi condictio hæc cessat, nec interesse privati ratio habetur, imo ne expensæ quidem in inquisitionem factæ, restituendæ sunt a fure, qui pœnam corporis afflictivam subit, vid. *P. 4. Const. Elect. 32.* ibique *Carpz.* quæ sanctio cum exorbitans sit, & a Jure communi recedat, ad pœnam publice inflictam restringenda est, adeoque ad casum, quo quis virgis in carcere cæsus est, haudquaquam pertinet.

§. 6. Sunt, qui in bonis furis tacitam hypothecam domino competere volunt, sed cum lex deficiat, citra hanc autem tacita hypotheca non detur, opinio hæc merito repudianda est, cujus & in foro nunquam rationem habitam esse, animadvertere licuit. Add. *Carpz. P. I. Const. 28. def. 118. n. 4.*

Tit. II.

Tit. II.

De

CONDICTIONE EX LEGE.

§. 1.

COndictio ex Lege speciatim sic dicta, est actio personalis, cui locus est, quando lex nova, h. e. post L. XII. Tabularum lata, obligationem introduxit, non autem simul cavit, quo genere actionis experiundum sit. *L. un. h. t.*

§. 2. Condictio hæc oritur ex obligatione ad aliquid dandum vel faciendum. Unde provocatio ex *L. Diffamari 5. C. de Ingen. manum.* non est proprie hæc actio, sed tantum imploratio officii Judicis, ut diffamantem vel ad agendum, & probandum compellat, vel perpetuum ei silentium imponat. Vid. *Bachov. ad Treutl. Vol. 1. Disp. 23 th. 1. lit. D.*

§. 3. Ad exemplum hujus actionis datur etiam condictio ex moribus, v. gr. propter obligationem ex pacto nudo, item condictio ex canone, v. gr. *Can. Redintegranda. cauſ. 3. qu. 1.*

Tit. III.

De

CONDICTIONE TRITICIARIA.

§. 1.

ORigo hujus vocis incerta est, sed tamen

men probabile, a Tritico, de quo frequentissime olim condictio hæc instituebatur, eam appellatam esse.

§. 2. Est autem condictio triticiaria, per quam quis omnes res alias, præter pecuniam, ex quacunque causa debitas, sibi dari oportere intendit, ita, ut judex, habita ratione loci & temporis, æstimare possit. *L. 1. & seq. h. t.*

§. 3. Est vero hæc condictio generalis, adeoque cum reliquis condictionibus cumulative concurrit, quoties æquitas exigit, ut propter moram rei aliamve justam causam reus in æstimationem condemnari debeat. *L. 3. & 4. h. t.* Unde simul liquet, cur non detur de pecunia debita, quia scilicet hæc æstimationem judicis arbitrio non perinde, ut aliæ res, recipit.

Tit. IV.

De EO, QVOD CERTO LOCO DARI OPORTET.

§. 1.

HAud raro evenire solet, ut solutio ejus, quod certo loco præstari debet, alio in loco, salvo Interesse actoris vel rei, petatur; ubi si debitum ex negotio bonæ fidei descendat, peculiari actione opus non est, cum id ipsis bonæ fidei judiciis per se insit, ut judex ejus, quod intereſt, alio loco

loco peti, rationem habere debeat, sin autem actio sit stricti juris, arbitrium tale judici non competit, cum ibi terminos conventionis excedere nequeat, adeoque peculiari actione de eo, quod certo loco, experiundum, quæ tamen in effectu non nisi nova qualitas est, quæ actionibus puris seu directis ex contractibus stricti juris oriundis accedit. Arg. *L. 2. §. 1. h. t. §. 35. I. de Action.*

§. 2. Nec vero putandum est, quasi hæc actio in omni loco moveri possit, sed supponitur competentia judicis, coram quo alias forum reus sortiatur, v. gr. in loco domicilii, arg. *L. 19. pr. de Reb. cred.* in loco contractus autem, qui est ille ipse locus, non ubi negotium initum, sed ubi solutio facienda est, non hanc, sed actionem directam ex contractu institui res ipsa monet. *L. 21. ff. de Oblig. & act. L. 33. de Reb. autorit. Jud. possid.*

Tit. V.
De
CONSTITVTA PECVNIA.

§. 1.

COnstitutum nihil aliud est, quam pactum legitimum, quo quis creditori solutionem vel proprii, vel alieni debiti, salva priori obligatione, promittit. *L. 5. §. 2. & 4. L. 28. h. t.*

§. 2. Constitutum alieni debiti in effectu est spe-

ſpecies fidejuſſionis, adeoque conſtituens beneficio ordinis ſeu excuſſionis gaudet. *L. 1. §. 1. h. t. L. ult. C. eod.*

§. 3. Conſtitui poteſt omne debitum, etiam naturale tantum, modo Jure civili non reprobatum ſit, *L. 1. §. 7. h. t.* Debitum tamen civile tantum conſtitui nequit, *L. 1. pr. L. 3. §. 1. h. t.*

§. 4. Conſtitutum imperſonaliter factum nullam obligationem regulariter parit, *Auth. Si quando. C. h. t.* niſi de animo ſe obligandi ex circumſtantiis appareat, vid. *L. 219. de V. S.* in eoque a ſtipulatione differt.

§. 5. Ex conſtituto hoc obligatorio oritur actio de conſtituta pecunia adverſus conſtituentem ad id, quod promiſſum eſt, præſtandum.

§. 6. Cum prior & vetus obligatio per conſtitutum non pereat, liquet, cum hac actione veterem concurrere, *L. 28. h. t.* adeo, ut nec altera alteram aliter, quam per factam ſolutionem tollat. *L. 18. §. ult. h. t.*

§. 7. In hanc actionem de conſtituta pecunia transfuſa etiam eſt actio receptitia, quæ olim contra argentarios dabatur. *L. 2. pr. C. h. t.*

Tit. VI.
COMMODATI VEL CONTRA.

§. 1.

COmmodatum eſt Contractus realis, quo gratuitus, itemque certus rei uſus ita alicui con-

conceditur, ut, eo finito, res in specie restituatur, §. 2. *I. quib. mod. re contrab. oblig.*

§. 2. Initur regulariter solius Commodatarii causa. *L. 5. §. 2. h. t.* Vnde culpa leviſſima ab eo præstanda venit.

§. 3. Potest commodato dari omnis res, quæ usu non consumitur, *cit. §. 2.* sive propria, sive aliena sit. *L. 15. h. t. L. 12. §. 2. de Vsufr.*

§. 4. Traditur autem in Commodato res ad usum certum, *L. 5. §. 8. L. 17. §. 3. h. t.* in eoque a precario differt, quippe quod singulis momentis revocari potest, & hinc ab accipiente non nisi lata culpa præstanda est, *L. 5. §. 2. h. t.* Potest tamen etiam Commodans usum rei commodatæ auferre, si scilicet eam ex nova & inopinata causa propriis usibus necessariam esse probaverit, arg. *L. 8. C. de Revocand. donat. & §. 3. C. de Locat. & Conduct.*

§. 5. Si res ex hoc contractu tradatur, transit nuda ejus detentio, *L. 8. 9. h. t.* interdum tamen id agitur, ut Commodatarius rei dominium ad tempus consequatur, quo casu fit commodatum irregulare. arg. *L. 31. Loc. Cond.*

§. 6. Obligatur ex hoc Contractu directo ac principaliter Commodatarius, unde datur contra ipsum actio commodati directa ad rem commodatam restituendam, ac damnum, in ea qualibet culpa datum, resarciendum, §. 2. *I. Quib. mod. re contrab. oblig.* licet forte commodans rem deteriora-

rioratam simpliciter receperit, cum ex eo nondum remissio juris sui inferri possit, & actioni semel natæ nemo renunciare censeatur, nisi hunc animum liquido declaret, *Mayer in Colleg. Jur. Argent. h. t. th. 13. n. 2.* quod etiam solo silentio Commodantis fieri intelligitur, si Commodatarius rem restituens damnum in ea datum excusset. *Pagenst. manip. 4. h. l.*

§. 7. De casu fortuito Commodatarius non tenetur, nisi forte eum receperit, tunc enim obligatur, licet forte insolitus sit, arg. *L. 15. §. 2. Locat. L. 78. §. ult. de Contrab. emtion.* casus tamen insolitissimus haud comprehenditur; vid. *L. 8. C. locat. Carpz. P. 2. Const. 26. def. 8.* (2) si culpa præcesserit; (3) si mora intervenerit; *Capit. unic. X. h. t.* (4) si res æstimato data sit, & expresse additum, quod Commodatarius vel rem, vel rei pretium restituere debeat, tunc enim dominium rei in commodatarium translatum esse intelligitur, quod non censetur fieri, si res simpliciter æstimata sit. *L. 5. §. 3. h. t. Zæsius ad ff. h. t. n. 10.*

§. 8. Si res commodata deteriorata sit, locum etiam habet actio L. Aquiliæ, sed elective, ita, ut ea actionem commodati tollat, *L. 18. §. 1. h. t.* hac vero prius instituta, actio L. Aquiliæ, quatenus in ea plus est, supersit, cum in L. Aquilia damni ratio ita ineatur, ut quanti res per annum vel triginta dies retro plurimi fuit, restitui debeat

beat. *l. 7. h. t. §. 9. & 14. I. de L. Aquil. junct. L. 34. §. ult. de Oblig. & action.*

§. 9. Secundaria & accidentalis obligatio oritur viciſſim in Commodante, ſi (1) dolo aut lata culpa ejus Commodatarius damnum ex re commodata ſenſerit; *L. 61. §. de Furt. L. 18. §. 3. L. penult. h. t.* (2) ſi uſus rei intempeſtive revocatus ſit, *l. 17. §. 3. h. t.* (3) ſi expenſæ neceſſariæ in rem commodatam factæ ſint, *l. 18. §. 2. commod.* Cibaria tamen, nec non impenſas modicas Commodatarius de ſuo præſtat; *l. 18. §. 2. h. t.* utiles impenſas non aliter Commodatarius repetit, quam ſi voluntate commodantis fecerit, aut certe Commodans ejus conditionis fuerit, ut credibile ſit, illum easdem facturum fuiſſe. Vid. *l. 25. de Pignorat. action.*

§. 10. Intuitu hujus obligationis ſecundariæ datur actio commodati contraria, ad conſequendam indemnitatem. *l. 17. §. 3. l. 18. §. penult. h. t.* Poteſt etiam Commodatarius compenſatione uti, ſi forte æſtimatio præſtanda. *l. ult. pr. & §. 1. C. de compenſ. junct. L. penult. C. depoſ.* vel etiam Jure retentionis, ſi ipſa ſpecies commodata reſtituenda ſit. arg. *l. 18. de Pignor. act. l. ult. C. h. t.*

§. 11. Cum vero communiter a Doctoribus in hoc titulo occaſione *l. 5. §. 2.* de dolo, culpa & caſu agi ſoleat, eandem materiam ſtrictim ſubjiciemus.

§. 12. Eſt vero dolus quævis machinatio, qua

quis alterum sciens & ex proposito lædit, *l. 1. §. 2. de Dol. mal. l. 7. §. 20. de pact.* atque hic in omnibus Contractibus præstari debet, adeo, ut ne quidem contraria conventio, quippe quæ delictis ansam daret, valeat, *l. 23. ff. de R. I.* nisi forte dolus sit præteritus, hic enim sine dubio remitti potest, cum factum infectum fieri nequeat.

§. 13. Culpa sine proæresi per negligentiam aut imperitiam committitur, *l. 123. §. 2. de V. S.* estque vel lata, vel levis, vel levissima.

§. 14. Lata culpa dicitur omissio infimæ diligentiæ, quando scilicet quis id omittit, & negligit, quod communiter homines negligere haud solent, *cit. l. 213. de V. S. l. 223. ff. eod.* Hæc culpa in causis civilibus dolo æquiparatur, adeo, ut ratione interesse privati perinde sit, utrum quis dolo, an lata culpa damnum alteri dederit, *l. 226. de V. S. l. 1. §. 5. de Obl. & action.* & lata culpa sub dolo comprehendatur *cit. l. 1. §. 5. L. 23. de R. J.* quod secus est in causis criminalibus, sic enim gravius delictum est, quod dolo, quam quod culpa admissum est, item cum de infamia irroganda agitur, si tutor, qui propter dolum a tutela removetur, infamis sit, qui autem ob culpam latam, non æque.

§. 15. Levis culpa est omissio exactæ diligentiæ, quæ a bono Patre familias adhibetur, *l. 10. de Administrat. & pericul. tut. l. 47. §. 5. de Leg. & fideicomm.* primo, atque hæc culpa regulariter in ab-

abstracto accipitur, aliquando tamen etiam in Concreto scilicet pro conditione ejus, qui eam admisit, ut in societate, §. *ult. I. de Societ.* nec non rerum communione. *l. 25. §. 16. famil. herciſc.*

§ 16. Leviſſima culpa eſt omiſſio exactiſſimæ diligentiæ. *l. 25. §. penult. locat. l. 1. §. 4. de Oblig. & action.* quæ vocabulo diligentiæ abſolute poſito regulariter venit, *l. 23. de R. J. l. 5. §. 2. in fin. & §. ult. Commod. vel contr.* Vox autem cuſtodiæ cum generalis ſit, eam regulariter haud denotat, ſed ad ſubjectam materiam & indolem negotii reſpiciendum venit. Vid. *Lauterb. h. t. pag. 227.*

§. 17. Vt vero conſtet, quales culpæ in ſingulis Contractibus præſtandæ veniant, tres Regulæ notandæ ſunt, quarum prima hæc eſt: Quicunque nullum emolumentum ex aliquo Contractu ſentit, non niſi dolum & latam culpam præſtat, exemplum eſt in depoſito. *l. 5. §. 2. h. t. l. 23. de R. J.*

§. 18. Secunda Regula eſt: Quotiescunque utriusque contrahentis utilitas in Contractu ſubeſt, uterque culpam latam & levem præſtat, ut in emtione venditione, locatione conductione &c. §. *ult. I. Quib. mod. recontrah. oblig. cit. l. 5. §. 2. h. t.*

§. 19. Tertia Regula eſt: Quicunque ſolus ex Contractu omnem utilitatem percipit, tenetur de omni culpa, lata, levi & leviſſima, v.gr. Com-

modatarius, *l. 5. §. 2. Commod.* Excipitur precarium, in quo propter incertum & semper revocabilem usum non, nisi lata culpa ab accipiente præstatur. *cit. l. 5. §. 2. l. 23. de R. J. l. 8. §. 3. de Precar.*

§. 20. Denique casus fortuitus est eventus rei, qui humana diligentia, consiliove prævideri, aut averti non potuit. *l. 2. §. 7. de Administ. rer. ad eiv. pert. l. 6. §. 7. de Off. Præsid.* Atque hic casus fortuitus regulariter a nemine præstandus est, sed res suo domino perit, *l. 9. C. de Pignorat. action.* Exceptio est (1) si casum præcesserit culpa, ex indole negotii præstanda, *l. 5. §. 4. & 7. Commod. vel contr.* aut (2) contigerit casus post moram; hæc enim periculum rei non traditæ in morosum debitorem transfert. *l. 23. de V. S. cap. un. X. de Commod.* (3) si quis casus fortuitos receperit *l. 9. §. 2. locat. l. 6. C. de Pignorat. act.* (4) si res æstimato tradita sit, scilicet venditionis causa, *l. 10. C. de Jur. dot.* non vero si æstimatio tantum taxationis gratia facta sit, hæc enim casum fortuitum non transfert. Vid. *Carpz. P. 2. Const. 37. def. 16.*

Tit. VII.

De

PIGNORATITIA ACTIONE.

§. 1.

PIgnus hoc loco non sumitur pro jure in re, de quo *t. t. ff. quib. mod. pign. tacit. contrab.* sed

sed pro contractu reali, quo res creditori in securitatem pignoris traditur, ea lege, ut, soluto debito, restituatur in specie. §. *ult. I. Quib. mod. re contrah. oblig.*

§. 2. Ineunt hunc Contractum, quicunque valide se obligare queunt, etiam de rebus immobilibus, nec non alienis, scilicet eo cum effectu, ut actio pignoratitia detur ad rem soluto debito repetendam, *l. 9. §. 4. l. 22. §. 2. h. t.* non vero ut jus reale consequatur creditor, quippe quod in re aliena alteri constitui nequit, *l. 6. C. si alien. res pign. dat. sit.* Quocirca creditor contra debitorem actione pignoratitia contraria experiri potest, ut alius pignus detur, quamvis forte verus dominus nondum litem moverit, cum sufficiat, creditori propter deficiens jus in re plenam securitatem in re aliena pignori data quæsitam non esse, *l. 9. pr. l. 16. §. 1. l. 32. h. t.* In quo pignus ab emtione venditione differt, ubi sufficit, venditorem efficere, ut emtori rem habere liceat, adeoque is, antequam controversia ipsi ab aliquo mota sit & res evicta, actionem contra venditorem non habet.

§. 3. Contractui huic sæpe accedit pactum antichreseos, quo inter debitorem & creditorem convenit, ut creditori, quamdiu ipsi non satisfactum, pignore uti, & fructus in compensationem usurarum suos facere liceat, *l. 11. §. 1. de Pign. & hyp. l. 33. de Pign. act.* ubi, si fructus certi sint, sorti imputandum est, quicquid legitimum usura-

rum modum excedit, arg. *l. 14. C. de Vsur.* Sin autem incertus est eorum proventus, legitimus usurarum modus, nisi excessus nimis magnus sit, haudquaquam attenditur. *l. 17. C. de Vsur.*

§. 4. Prohibitum autem est, quo minus pignori adjiciatur Lex Commissoria, qua inter creditorem & debitorem convenit, ut, si debitor suo die non solvat, res oppignorata Creditori cedere debeat, *L. ult. C. de Pact. pign. adject. junct. l. 36. C. de usur.* Licitum autem est pactum, ut, debito certo tempore non soluto, Creditor rem oppignoratam justo pretio emtam habere debeat. *l. 16. §. ult. de Pignorat. act. l. ult. pr. de contrab. emtion.*

§. 5. Ex Contractu pignoratitio directo & principaliter obligatur Creditor ad pignus, soluto debito, restituendum; unde datur contra ipsum actio pignoratitia directa, quæ statim quidem tempore Contractus in actu primo nascitur, §. *ult. I. quib. mod. re contrab. oblig. l. 1. §. 6. de Oblig. & Action.* in actu secundo autem & cum effectu non prius nascitur, quam debito, atque adeo pignoris quoque vinculo soluto: *l. 9. §. 3. h. t. l. 13. §. 8. de Act. emt. vend.* unde nec ullo tempore, quamdiu nondum solutum est debitum, actio hæc præscribi, sed semper debitum offerri, & pignus repeti potest, arg. *l. 7. §. 4. C. de trigint. & quadragint. ann. præscript.* cum non valenti agere, non currat præscriptio.

§. 6.

§. 6. Obligatio secundaria & accidentalis oritur in debitore ad indemnitatem, pignoris causa præstandam, v. gr. ob expensas, in pignus factas, quo intuitu actio pignoratitia contraria datur.

Lib. XIV. Tit. I.

De EXERCITORIA ACTIONE.

§. 1.

EXercitor est, qui ex navi quæstum exercet, sive sit ipse dominus illius, sive per aversionem navem conduxerit, §. 2. *I. quod cum eo, qui in alien. potest. est. l. 1. §. 1. h. t.* qui vero ab hoc locandæ navi aut vectoribus conducendis, aut emendis, vendendisque mercibus præpositus est, dicitur Magister navis, *l. 1. §. 1. & 3. h. t.* Cum tali Magistro, si quis juxta præpositionis legem contractum ineat, actionem ex eo descendentem, v. gr. emti, locati, contra ipsum præponentem exercitorem, quippe quem inprimis respexisse censetur, instituere potest, quæ hinc ab adjectitia illa qualitate, exercitoria appellatur; atque a principali & directa actione, ratione objecti, nihil quidquam differt. arg. §. 2. *l. eod.*

§. 2. Introducta est hæc Actio a Prætore, *l. 1. §. 23. h. t.* cum Jure civili stricte sic dicto alter ex alterius Contractu obligari aut conveniri haud possit. *l. 3. in fin. C. Ne ux. pro Mar. §. 10. J. de Action.*

§. 3. Si Magister navis ad hanc reficiendam aut instruendam mutuum acceperit, Exercitor tenetur, quamvis Magister ad alium usum pecuniam verterit, *l. 1. §. 9. l. ult. h. t.* modo (1) navis in eo statu fuerit, ut refectione opus haberet, (2) pecunia ad eum usum expresse data sit, nec (3) multo major, quam necessarium fuit, & (4) eo in loco, ubi refectio fieri potuit. *l. 1. §. 8. & 9. l. ult. pr. & §. 1. h. t.*

§. 4. Habet autem is, qui cum Magistro navis contraxit, electionem, an contra hunc actione directa ex Contractu, an vero Exercitoria adversus Exercitorem experiri velit. *l. 1. §. 17. & 24. h. t.*

§. 5. Neque vero vice versa Exercitor adversus contrahentes cum Magistro actionem habet, cum non perinde eorum fidem secutus videri possit, quippe qui nesciebat, cum quibus Magister navis contracturus esset, itaque vel contra Magistrum actionem locati aut mandati instituere, vel curare debet, ut sibi actio ex Contractu a Magistro navis cedatur. *l. 1. §. 18. h. t.*

Tit. II.

De
LEGE RHODIA DE JACTV.

§. 1.

LEge Rhodia de jactu cautum est, ut damnum, quod

quod quis jactu mercium navis levandæ causa facto passus est, a reliquis, quorum res ita conservatæ sunt, pro rata resarciri debeat. *l. 1. h. t.*

§. 2. Requiritur autem, ut jactæ sint merces ex necessitate ob naufragii periculum: *l. 2. pr. §. 2. h. t.* Quod si autem quis culpa Magistri navis damnum incurrerit, L. Rhodiæ locus non est, sed actione L. Aquiliæ adversus ipsum experiundum. *l. 27. §. 23. ad L. Aquil. l. 30. §. 2. locat.*

§. 3. Nititur hæc Lex, & quæ per eam injungitur, contributio, summa æquitate; cui vel maxime convenit, ut illi, quorum res alienarum rerum jactura conservatæ sunt, damnum pro parte resarciant. *l. 2. pr. h. t.*

§. 4. Vt vero constet, quantum quisque conferre teneatur, omnes res, tam jactæ, quam servatæ, una cum ipsa navi, exceptis tamen cibariis, quæ consumendi causa in navi sunt, *l. 2. §. 2. h. t.* æstimari debent; *l. 2. §. 2. h. t.* & quidem amissæ, quanti emtæ sunt, *l. 2. §. 4. h. t.* servatæ autem, quanti arbitrio peritorum, deductis necessariis impensis vendi possunt *l. 2. §. 4.* Deinceps, ineunda est universi damni, quod omnes passi sunt, æstimatio; qua ratione, ducto calculo, facile apparet, quantum singulos contribuere oporteat. *l. 1. 2. pr. & §. 4. h. t.*

§. 5. Ad hanc collationem impetrandam competit actio locati contra magistrum navis, ut vectorum res tamdiu retineat; donec contributio-

nem pro rata fecerint. *l. 2. pr. & §. 2. h. t.* qui tamen cedendo actionem suam liberatur. *l. 51. in fin. de Pecul. l. 6. §. ult. de Heredit. petit.*

§. 6. Applicari hæc lex ad alios etiam casus solet, quoties scilicet aliorum res meo damno conservatæ sunt, v.gr. per destructionem domus tempore incendii, ne ignis latius serperet; tunc enim vicini, si is, cujus culpa incendium ortum, non solvendo sit, in subsidium ad restitutionem damni pro rata faciendam conveniri queunt. arg. *l. 1. & 2. h. t.*

Tit. III.

De INSTITORIA ACTIONE.

§. 1.

INstitor vocatur, qui negotiationi quæstuariæ terrestri administrandi gratia præpositus est, §. 2. I. *Quod cum eo, qui in al. pot. est, negot. gest. ess. dic.* Quæ præpositio fieri potest per mandatum, *l. 1. h. t.* aut per locationem, arg. *l. 1. §. 18. de Exercit. act.* aliquando etiam sine ullo interveniente contractu, ut si servus præponatur. *l. 1. h. t. §. 6. I. de Inutil. stipul.*

§. 2. Si institor homo liber, nec in præponentis potestate constitutus sit, & cum alio contrahat, obligatio quidem ex contractu oriunda tam active, quam passive in ejus persona radicatur, adeo-

adeoque, durante officio, tam agere, quam conveniri ipse potest; *l. 1. h. t. arg. l. 1. §. 18. de Exercit. act.* ita tamen, ut nihil de suo, sed tantum ex negotiatione, quam administrat, præstare teneatur. *l. ult. h. t.* Nisi forte proprio nomine, non tanquam Institor contraxerit, aut in specie fidem suam in securitatem contractus interposuerit, aut denique fines præpositionis excesserit; quibus casibus etiam finito officio conveniri potest.

§. 3. Præponens adversus eos, qui cum Institore contraxerunt, regulariter ne quidem Jure Prætorio actionem habet; *l. 1. h. t. arg. l. 1. §. 18. de Exercit. act.* nisi in subsidium, si aliter rem suam servare non possit. *l. 1. in fin. & l. 2. h. t.*

§. 4. Illis vero, qui cum Institore contraxerunt, contra præponentem non quidem Jure Civili, §. *10. I. de Act. l. 3. in fin. C. Ne ux. pro marit.* sed tamen Jure Prætorio competit actio in solidum; cum ejus fidem contrahendo præcipue secuti esse censeantur; & hæc actio dicitur institoria, quæ perinde ut exercitoria, nonnisi nova adjectitia qualitas est, quæ actioni directæ ac principali ex contractu accedit. *l. 5. §. 12. l. 12. pr. h. t.*

§. 5. Plures præponentes socii, si unum Institorem præposuerint, singuli in solidum tenentur, salvo tamen adversus consocios ad ratam restituendam regressu. *l. 13. §. ult. l. seq. h. t.*

Tit. IV.
De
ACTIONE TRIBVTORIA.

§. 1.

SI dominus vel pater ſpeciatim permittat, ut ſervus vel filiusfamilias in merce aliqua peculiari negotietur, ac deinde eandem inique & fraudulenter inter eos, qui cum ſervo vel filio contraxerunt, diſtribuat, datur læſis actio Tributoria ad læſionem & iniquam diſtributionem corrigendam. §. 3. *I. Quodcum eo, qui in alt. pot. eſt. l. ult. h. t.*

§. 2. Singulare eſt in hac actione, quod contra heredes non aliter detur, quam quatenus aliquid pervenit. *l. 7. §. ult. l. 9. §. 2. h. t.*

§. 3. Si ſervus plures negotiationes exercuerit, vel etiam ejusdem negotiationis plures tabernas habuerit, cujusque tabernæ vel negotiationis merces inter ejusdem creditores diſtribuuntur. *l. 9. §. 15. l. 16. h. t.* Quod ſeparationis beneficium hodie in concurſu creditorum applicari ſolet, ſi forte mercator, in cujus bonis ortus eſt, pluribus locis diſtinctas negotiationes exercuerit. *Lauterb. h. t. p. 246.*

§. 4. Actio hæc Tributoria hodie infrequens eſt, cum nec ſervi amplius dentur, & partes filiis non aliter negotiari permittere ſoleant, quam ſi emancipati ſint; quod vero filii hoc ipſo, quod ne-

negotientur, quod illam negotiationem pro emancipatis haberi debeant, uti vult *Hahn. ad Wesenb. h. t.* cum eoque *Lauterb. h. t.* id non usque quaque admittendum videtur, cum filius non aliter a patria potestate tacite dimissus censeri debeat, quam si peculiarem œconomiam instituerit; cum novos tacitæ emancipationis modos pro lubitu fingere haud liceat.

Tit. V.

QVOD CVM EO, QVI IN ALIENA POTESTATE EST, NEGOTIVM GESTVM ESSE DICATVR.

§. 1.

SI filius nomine patris contraxerit, non aliter tenetur, quam si postea patris heres fiat: Vid. *Tit. C. Ne filius pro patr.* Sin autem suo nomine contractum inierit, obligatur, & sui Juris factus inde convenire potest, quamvis a Patris hereditate abstinuerit, salvo tamen beneficio competentiæ *l. 5. pr. h. t.* si scilicet ex bonis paternis vel nihil, vel tantum legitimam acceperit. *L. 2. pr. & §. 1. h. t. L. 7. eod.* Limitationes vide apud *B. Stryk. in Annot. ad Lauterb. h. t.*

§. 2. Beneficium hoc competentiæ personale est, adeoque non ad heredes transit, *L. 25. ff. de Re jud.* nec fidejussoribus regulariter prodest. *l. 13. l. 16. l. 24. ff. eod.*

§. 3.

§. 3. Præter hunc casum competit hoc beneficium in genere (1) Parentibus & liberis; *l. 16. ff. de Re jud.* (2) Fratribus & sororibus. arg. *l. 63. ff. Pro soc.* (3) Marito; uxori, patri mariti uxorisque; (4) Donatario; *l. 19. §. 1. de Re jud.* (5) Socio, *cit. l. 63.* (6) Militibus. (7) Nobilibus; *Struv. Exerc. 24. th. 44.* (9) Sacerdotibus; *Brunnem. ad l. 6. ff. de Re judic.* (9) illis, qui gradu decorati sunt, item Advocatis & Studiosis, (10) illis, qui bonis cesserunt; §. *ult. I. de action.* (11) Omni debitori, qui bello aliave calamitate ad inopitas redactus est; (12) Civitatibus & Vniversitatibus. *Carpz. dec. 278.* Fatendum autem est, de nonnullis horum, v. gr. Civitatibus, an memorato beneficio gaudeant, dubitari posse; cum privilegium hoc non magis, quam hypotheca tacita, ultra dispositionem Legum proferri debeat.

§. 4. Cessat beneficium competentiæ (1) ob dolum, arg. *l. 22. §. 1. de Re jud.* si quis patremfamilias se dolose dixerit, *l. 4. §. 1. l. 6. h. t.* add. *l. 37. in fin. de Minor.* Vnde in delictis nunquam eidem locus est. (2) Si illi in specie renunciatum fuerit; quod fieri posse, quamvis aliqui negent, verius tamen affirmatur; *l. penult. C. de Pact. l. 41. de Minor.* nisi forte inter eas personas, quæ sibi peculiarem reverentiam debent, negotium intercedat; tunc enim huic beneficio renunciari haud posse videtur. *B. Stryk. h. t. verb. Renunciavit.*

§. 5.

§. 5. Servi, si contrahant, plane non obligantur, *l. 32. ff. de R. J.* atque adeo ne quidem post manumissionem actio exinde datur, *t. t. C. An serv. post manumiss.* add. *l. 29. de R. I.*

Tit. VI.

De SENATVS CONSVLTO MACEDONIANO.

§. 1.

Occasionem huic Senatus Consulto dedit Macedo Fœnerator, qui exactionem debiti a filiis familias contracti, in tempus mortis paternæ differre, atque adeo adolescentibus magnum æs alienum conflandi, suosque mores corrumpendi ansam præbere solebat. *l. 1. ff. h. t.* Quocirca ut huic fœneratorum malitiæ obex poneretur, Senatus Consultum factum est, quo cautum, ut si quis filiofamilias pecuniam credidisset, eam repetere non posset; vid. §. 7. *I. Quod cum eo, qui in alien. pot. est. l. 1. l. 6. §. penult. h. t.* Melius enim est, coarctare juveniles calores, ne cupidini dediti tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum patrimonium expectat. *l. ult. §. 5. C. de Bon. quæ lib.*

§. 2. Neque vero SCtum Macedonianum obligationem mixtam ex mutuo, indeq; descendentem actionem, sed tantum effectum eidem, suggerendo exceptionem, ademit. §. 4. *I. Quod cum eo, qui*

qui in al. pot. est. L. 1. §. 1. l. 7. §. 6. h. t. Vnde si filiofamilias mutuo dederit pecuniam, is, qui ad contrahendum inhabilis est, v. gr. pupillus & minor Curatorem habens, sine tutoris autoritate & curatoris consensu, SCtum Macedonianum locum non habet, sed negotium ipso Jure nullum est. *l. 3. §. 2. h. t.*

§. 3. Exceptio SCti Macedoniani datur liberis, sive adhuc in patria potestate sint, sive deinceps sui Juris esse cœperint, eorumque heredibus, nec non Patribus, in quorum potestate sunt, ut & fidejussoribus: nisi forte animus donandi appareat. *l. 9. §. 3. h. t.*

§. 4. Exceptio hæc, si in continenti sit liquida, impedit litis ingressum, arg. *l. 1. §. 1. l. 7. §. 2. l. 9. §. 2. h. t.* Si autem altioris indaginis sit, litis quidem ingressum impedire nequit, sed tamen semper, etiam post sententiam definitivam, si antea non opposita, ac per eandem rejecta sit, locum habet; cum sententiam non impugnet, sed tantum modificet, atque adeo eo tendat, ne executioni locus esse possit; *l. 11. h. t.* Hodie autem, cum fere in omnibus judiciis exceptiones peremtoriæ statim litis contestationi sub earum jactura annectandæ sint, hæc exceptio post sententiam non amplius admittitur.

§. 5. Exceptio SCti Macedoniani cessat, vel ex persona filiifamilias (1) si miles sit. Principis tamen Imperii filius cum Jure Communi utatur,

ab

ab hoc beneficio, si eo uti velit, haud excludendus videtur. (2) Si filiusfamilias sui juris factus, debitum agnoverit, v.gr. illud novando, aut partem ejus solvendo. *l. 2. C. h. t. l. 4. C. de Non num. pecun.* Pignoris datione debitum non nisi pro quantitate ejus confirmatur. *l. 9. pr. h. t.*

§. 6. Ex persona Patris SCtum cessat, (1) si in mutuum consenserit, *l. 2. l. 4. & 5. C. h. t.* sive expresse, sive tacite, puta, si debitum a filio contractum solvere consueverit, arg. *L. ult. Quod cum eo, qui in al. pot. est.* aut tacuerit ad epistolam, qua filius mutuum se accepisse Patri significavit. Vnde cautelam Doctores tradunt, ut filius literas ad Patrem scribat, easque duobus testibus, quibus earum tenor cognitus est, patri perferendas tradat; his enim si pater non statim contradixerit, eum obligari volunt, quod etiam ad casum amissi chirographi applicat *B. Stryk. in Annot. ad Lauterb. h. t.* Cessat autem propter consensum patris SCtum hoc etiam intuitu filii, arg. *l. 2. l. ult. C. h. t.* Idem effectus ratihabitionis paternæ est, durante patria potestate factæ; nam & hæc filio præjudicat. (2) Si pecunia mutuo accepta, in rem patris versa sit; quo referuntur omnes sumtus, ad quos erogandos pater tenetur; *l. 7. §. 12. h. t. l. 3. §. 1. de in Rem verf.* imo sufficere volunt, si ad tales usus pecunia bona fide credita sit, quamvis forte inutiliter filius consumserit; quod tamen magis ex æquitate, quam stricto jure est; cum filii calliditas, & credi-

ditoris credulitas patri nocere haud debeat. *l. 3. §. 9. de in Rem verſ. B. Stryk. in Annot. ad Lauterb. h. t.*

§. 7. Ex perſona creditoris ceſſat, ſi juſto errore ductus accipientem pro patrefamilias habuerit; *l. 1. C. h. t.* Sufficit tamen unius ſcientia, ſi duo pluresve crediderint. *l. 7. §. 7. h. t.*

§. 8. Cæterum renunciari huic SCto a filiofamilias nequit. Quamvis enim alias cuivis beneficio, ſibi competenti, renunciare liceat, *l. penult. C. de Pact.* ſupponendum tamen ejusmodi beneficium eſt, quod in ſolius renunciantis favorem introductum; cum ex adverſo SCtum Macedonianum non ſolius filiifamilias, ſed & patris, imo etiam publicæ utilitatis cauſa ſancitum ſit. Quid vero ſi juramentum acceſſerit? hoc Jure Civili renunciationem validam haud efficere, expeditum eſt; cum naturam negotii, cui accedit, ſequatur; Jure tamen Canonico & moribus hodiernis jurata renunciatione hoc beneficium excludi putem; cum nihil moraliter turpe, nec reſpectu jurantis, nec ratione creditoris, cui juratur, ſubſit.

Lib. XV. Tit. I.

De

PECVLIO.

§. 1.

§. 1.

PEculium nihil aliud est, quam pusillum patrimonium, quod illi, qui in potestate aliorum sunt, ab eorum rationibus separatum habent. *l. 4. pr. h. t.*

§. 2. Estque duplex, vel servorum, vel filiorumfamilias: Illud conceditur servis libera voluntate domini per rerum traditionem, idemque singulis momentis revocari potest, ac solam ejus administrationem servus habet. *l. 4. pr. l. 8. h. t.*

§. 3. Peculium filiorumfamilias est vel militare, vel paganum: illud rursus dividitur in castrense, & quasi castrense.

§. 4. Peculium castrense est, quod intuitu & occasione veræ militiæ filiusfamilias acquisivit. *l. 11. & 12. ff. de Castr. pecul.* Eoque pertinent non solum res mobiles, sed etiam immobiles ratione armatæ militiæ acquisitæ, v. gr. prædium castrense pecunia emtum. *L. 1. C. de Castr. pecul.*

§. 5. Hujus peculii plenam proprietatem filius habet, *l. 6. pr. C. de Bon. quæ lib.* in eoque pro patrefamilias habetur, *l. 2. ff. ad SCt. Maced. l. 6. §. ult. de Injust. rupt. & irrit. fact. testam.* adeoque non solum inter vivos, sed etiam per testamentum de eo liberrime disponit. *§. 1. I. Quib. non est permiss. fac. testam.* Pater autem, quam-

diu filius vivit, nihil omnino juris in eo habet. *l. 5. C. de Castr. pecul. l. 6. C. de Bon. quæ lib.* Mortuo filiofamilias pater jure veteri hoc peculium vi patriæ potestatis veluti postliminio occupabat; *l. 19. §. 3. de Castrens. pecul.* Jure novo autem successio in bona castrensia filiifamilias jure hereditario primo liberis, deinde parentibus, defertur. *l. ult. C. commun. de Success. l. 3. & 4. C. de Bon. quæ lib.*

§. 6. Peculium quasi castrense est, quod occasione quasi militiæ, v. gr. artibus liberalibus aut officiis publicis, est quæsitum §. *ult. I. de Milit. testam. l. 6. C. de Bon. quæ lib.* In eo pater nihil juris habet, sed eodem jure filiusfamilias censetur, quo in peculio castrensi; *cit. l. 6. pr. l. 4. C. de Advocat.* adeoque tam inter vivos, quam ultima voluntate de illo libere disponit, perinde ac paterfamilias. arg. *l. 2. ad SCt. Maced. junct. cit. l. 6.*

§. 7. Peculium paganum filiorumfamilias est vel profectitium, vel adventitium. Illud est, quod ex re patris, vel ejus occasione citra militiæ causam profectum est; §. *1. I. Per quas pers. cuiq. acquir.* cujus peculii plena proprietas, imo & possessio patris est, filius autem illud solum detinet, ac administrat; quod si tamen in emancipatione ademtum non sit, filio donatum a patre censetur. *l. 31. §. 2. de Donat.* Vid. *l. 3. §. 4. de Min.*

§. 8. Hujus peculii intuitu datur illis, qui cum filiofamilias vel etiam cum servo de peculio servili

vili contraxerunt, actio de peculio adversus dominum vel patrem, quousque vires peculii patiuntur. §. *8. I. de Act. l. 21. §. ult. ff. de Pecul.* Quæ actio hodie in servis, cum tales non amplius habeamus, nullam utilitatem præstat, quoad filiosfamilias autem rara est; cum pater filio in sacris suis constituto non facile separatum a rationibus suis peculium concedere, in eoque negotiandi & contrahendi facultatem permittere soleat.

§. 9. Peculium adventitium est, quod citra causam militiæ aliunde, quam ex re patris, ad filium pervenit. §. *1. I. Per quas pers. cuiq. acquir.* Estque vel regulare, seu ordinarium, cujus nuda proprietas ad filiumfamilias pertinet; vel irregulare, seu extraordinarium, cujus pleno dominio filiusfamilias gaudet, §. *1. I. Per quas pers. cuiq. acquir. cit. l. C. de Bon. quæ lib.*

§. 10. Si pater filiumfamilias emancipaverit, loco præmii dimidiam partem ususfructus in hoc peculio retinet; §. *2. I. per quas pers. cuiq. acquir. l. 6. §. 3. C. de Bon. quæ lib.* Cui præmio hodienum in casu formalis emancipationis locus erit. Virtualiter autem per separatam œconomiam vel nuptias emancipatus filius vel filia omnia bona pleno jure recipit.

§. 11. Pater de administratione hujus peculii nullas rationes reddit, *l. 6. §. 2. l. 8. §. 4. C. de Bon. quæ lib.* nec Inventarium conficere tenetur; *l. ult. §.*

4. *in fin. C. eod.* Designatio tamen aliqua bonorum necessaria est, ut constet, quantum soluta patria potestate filio restituendum sit.

§. 12. In securitatem hujus peculii competit filiofamilias tacita hypotheca in bonis paternis a tempore susceptæ administrationis; & quidem hodie in genere; quamvis eadem Jure civili ad bona materna & materni generis restringatur. *l. 8. §. C. 4. de Secund. nupt. l. 6. §. ult. C. de Bonis, quæ lib.*

§. 13. Peculium adventitium irregulare est, quod pleno jure a rationibus paternis separatum est. De quo filiusfamilias itidem inter vivos libere disponit, & mortis causa donat, *Nov. 117. cap. 1. §. 1.* non tamen de eo testari potest, cum illius intuitu nullibi jura patrisfamilias consecutus sit. *pr. l. Quib. non est permiss. fac. test. l. pen. C. Qui testam. fac. poss.*

Tit. II.

QVANDO DE PECVLIO ACTIO ANNALIS EST.

DVrante patria vel dominica potestate, & existente peculio, actio de peculio tamdiu datur, quamdiu actio directa ex contractu cum filiofamilias vel servo competit, quando autem patria potestas soluta est, Prætor intra annum utilem eandem actionem concedit. *l. 1. §. 2. & 3. h. t.*

Tit.

Tit. III.

De

IN REM VERSO.

§. 1.

SI quid ex contractu filiifamilias aut servi in rem seu utilitatem patris ac domini versum sit, datur actio de in rem verso a Prætore, §. 4. *I. Quod cum eo, qui in al. pot. est.* quæ utiliter etiam illo casu competit, quo homo sui juris, aliena negotia gerens, contractum iniit, ex eoque domini utilitas promota est. *l. 7. §. 1. C. h. t.*

§. 2. Versio hæc facti est, adeoque ab actore probanda. §. 5. *I. Quod cum eo, qui in al. pot. est.* Sufficit autem comparatum aliquid, expensum, aut acceptum esse in utilitatem domini, quamvis forte casu perierit, nec actu versum sit. *l. 3. §. 7. & 8. h. t.*

Tit. IV.

QVOD JVSSV.

§. 1.

SI filiusfamilias aut servus jussu patris vel domini cum aliquo contraxerit, datur huic contra patrem & dominum *actio quod jussu* ad solidum, quod ex contractu debetur, præstandum. §. 1. *I. Quod cum eo, qui in al. pot. est.* Sola scientia non sufficit; *l. 1. §. 1. h. t.* Sicuti nec sim-

plex commendatio. *l. ult. C. Quod cum eo, qui in al. pot. est.* Vtiliter hæc actio competit omnibus, qui cum libero homine alterius jussu contraxerunt. *l. 7. §. 1. C. Quod cum eo, qui in al. pot. est.*

§. 2. Concurrit cum ea interdum actio de peculio, & de in rem verso, scilicet elective §. 5. *I. Quod cum eo, qui in al. pot. est.* Vbi prudentis actoris est, eam eligi actionem, per quam brevissima via, & facillimis probationibus solidum consequi possit.

Lib. XVI. Tit. I.

AD SENATVS CONSVLTVM VELLEJANVM.

§. 1.

QVamvis Jure Naturali & gentium fœmina pro aliis intercedendo seu fidejubendo non minus obligetur, quam masculus; Jure Civili tamen Senatus Consulto Vellejano cautum est, ut tales interceſſiones nullum effectum sortiri debeant. Vbi observandum, quod Senatus Consultum hoc fidejussionem mulierum non ipso jure nullam ac invalidam, sed tantum inefficacem reddiderit, ita, ut summo quidem jure actio contra mulierem intercedentem detur, sed quam illa per exceptionem Senatus Consulti Vellejani elide-

elidere possit. *l. 7. 16. in fin. & 23. h. t. l. 9. C. eod.*

§. 2. Nihil autem interest, pro quo fœmina intercedat, si vel maxime pater aut filius, *l. 2. §. 1. l. 3. & 8. C. h. t.* vel maritus sit, per *Auth. Si qua mulier, C. ad SCtum Vellej. Nov. 134. cap. 8.* Ex quibus textibus illud etiam consequitur, quod uxor, quæ in uno eodemque chirographo se cum marito tanquam corream debendi principaliter obligavit, plane non teneatur, sed, ea subducta, solus maritus conveniri possit. Non tamen prohibetur uxor cum marito suo contrahere. *l. 7. §. 6. l. 52. ff. de Donation. inter vir. & ux.*

§. 3. Exceptio SCti Vellejani Jure Civili etiam post rem judicatam ad executionem impediendam locum habet; *l. 11. ad SCt. Maced.* Si tamen plane opposita haud sit, a Judice ex officio haudquaquam suppletur, cum ad Jura partium pertineat; arg. *tit. Ut quæ def. Advocat. part.* arg. *cit. l. 11.* Imo hodie perinde, ut exceptio SCti Macedoniani, non aliter admittetur, quam si statim post litem contestatam objecta fuerit. Add. *B. Stryk. in Annot. ad Lauterb. h. t. verb. rem judicatam.*

§. 4. Cessat hæc exceptio (1) ob mulieris dolum, si nempe sciens, se ex fidejussione sua non obligari, animo decipiendi creditorem, intercesserit; Super quo fallendi proposito juramentum deferri potest; nec enim decipientibus, sed deceptis Leges subveniunt. *l. 2. §. 3. h. t. l. 5. C. eod.*

§. 5. Cessat (2) si mulier pro intercessione pretium acceperit, *l. 23. C. h. t.* Nec vero opus est, ut probatio per publicum instrumentum a tribus testibus consignatum præcise fiat, quod videtur velle *B. Stryk. cit. loc. verb. Acceperit.* cum in *cit. leg. 23.* præter hoc probandi genus etiam aliæ probationes admittantur.

§. 6. Cessat (3) si fœmina majorennis post biennium iterato se pro extraneo obligaverit; quia sibi imputare debet, si, quod sæpius cogitare poterat & evitare, non fecit, sed ultro firmavit. Videtur etenim ex hujusmodi temporis prolixitate non pro aliena obligatione se illigare, sed pro sua causa aliquid agere, quæ sunt verba *l. 22. h. t.* & si vel maxime nihil a se per iteratam intercessionem in suam utilitatem actum esse, probare velit, tamen audienda non est, cum hæc sit præsumtio juris & de jure, quæ omnem contrariam probationem excludit, uti recte *Gothofredus* notat *ad cit. l. 22. lit. d.*

§. 7. Respectu mariti tamen ne iterata quidem hæc intercessio post biennium uxorem obligat, propter blanditias maritales, quæ perpetuo continuari præsumuntur. *Auth. Si qua mulier. C. h. t.*

§. 8. Cessat (4) quoties intercessio in propriam mulieris utilitatem facta est. *l. 1. §. 1. l. 2. §. 1. h. t.* Vnde si puella dives sub hac conditione: *si fide jusserit*, ab adolescente in matrimonium petita, consenserit, & sponsalia contraxerit, obligatur;

gatur; cum proprium negotium gessisse videatur.

§. 9. Cessat (5) si fœmina de SCto hoc satis edocta eidem renunciaverit; cum hoc beneficium tantum in mulieris favorem introductum sit, *l. penult. C. de pact.* Cujusmodi renunciatio frequens est, si mater aut avia tutelam subire velit; *Auth. Matri & aviæ, C. Quand. mul. tutel. off. fung. poss.* Eademque valet, licet extrajudicialiter & sine juramento facta sit. *l. 21. pr. h. t.* Neque hic distinguendum puto inter maritum & extraneum, quod quidem communiter *Dd. ad Auth. Si qua mulier. C. h. t.* faciunt; *B. Stryk. Annot. ad Lauterb. h. t. & in Tract. de Cautel. Contract. Sect. 2. Cap. 6. §. 3. & seqq.* Cum utique *cit. Auth.* nullius juramenti mentionem faciat, in nostra autem potestate non sit, novum renunciationis requisitum fingere: in quam sententiam ab Ord. Vitemberg. mens. Septemb. 1709. responsum esse memini. Cæterum juramentum, huic renunciationi adjectum, id operatur, ne defectus certiorationis facile urgeri possit; hujus enim loco juramentum esse, communis Dd. sententia est, quamvis forte non satis tuta; unde fœminam, quæ SCto huic mediante juramento renunciavit, de ignorantia sua deinceps excipientem, audiendam esse puto.

§. 10. Cessat (6) si mulier intercessionem juramento confirmaverit, quamvis simul expresse benefi-

neficio SCti Vellejani ab ea haud renunciatum sit; quippe juramentum vim tacitæ renunciationis habet; scilicet secundum Jus Canonicum. arg. *Capit. 9. & ult. X. de Jurejur.* Add. arg. *l. 1. & seq. Auth. C. Si adverf. vendit.*

§. 11. Cessat (7) si creditor sit minorennis; ætatis enim ratio potior hic est, quam sexus. *l. 12. in fin. ff. de Minor. l. 32. pr. h. t.* Vnde tali casu opposita exceptio SCti Vellejani per replicam restitutionis in integrum eliditur.

§. 12. Cessat (8) ob favorem causæ, si fœmina majorennis pro servo manumittendo manumissionis pretium promittat, *l. penult. C. h. t.* aut pro dote intercedat, *l. 41. pr. de jur. dot. l. ult. C. h. t.* modo non ipsa ex hac intercessione indotata reddatur, *l. 1. & 2. ff. de Jur. dot.* Cæterum quod hic de dote dispositum, non pertinet ad donationem propter nuptias; hujus enim tantus favor non est, quantus dotis, arg. *d. L. ult.* junct. *l. 12. §. 2. Qui pot. in pign.*

Tit. II.

De COMPENSATIONIBVS.

§. 1.

MOdus tollendi obligationem ipso Jure est compensatio, quæ est debiti & crediti inter se contributio. *l. 1. h. t. §. 30. I. de Action.*

§. 2. Locus est compensationi, licet quis solutio-

tionem juramento promiserit; cum & compensatio vice solutionis sit; omneque juramentum tacitam clausulam: *rebus sic stantibus*, contineat; *l. 38. de Solution.* nisi forte tempore juramenti mutuum debitum adfuerit; tunc enim propter illud compensatio fieri nequit; quia superfluum fuisset juramentum, si jurans compensatione intuitu illius debiti uti vellet.

§. 3. Compensatio fieri potest adversus quemcunque Creditorem, etiam civitatem & fiscum, *l. 3. C. h. t. l. 46. §. 5. de Jur. fisc.* si modo ex eadem statione, cujus nomine agitur, vicissim debeat fiscus; *l. 1. C. h. t.* Exceptio est, si debeatur (1) ex Calendario, h. e. si quis pecuniam publicam a civitate fœnori acceperit, quale debitum olim in Calendarium seu rationes pecuniæ fœneratitiæ referebatur, *l. 3. C. h. t.* (2) ex causa annonaria, tributorum aut vectigalium, *C. 3. c. h. t. l. 46. §. 5. de Jur. fisc.* Puto tamen & hic compensationi locum esse, si debitum & creditum ejusdem stationis sit. Add. *B. Stryk. in Annot. ad Lauterb. h. t.* (3) Ad alimenta publice præstanda, *l. 3. C. h. t.* Id quod ad omnia alimenta ac salaria futura, quæ vice alimentorum sunt, ob eorum favorem ac necessitatem extendere solent, *Carpz. P. 1. Const. 8. def. 9.* (4) Si fideicommissum civitati vel fisco relictum sit, *l. 3. C. h. t.* cum ibi præter favorem fisci testamenti quoque favor concurrat, (5) si debeatur pretium rei, a fisco venditæ, *l. 7. C. h. t. l. 46. §. 5. de Jur. fisc.*

§. 4

§. 4. Vt compensationi locus sit, requiruntur mutui debitores. Procurator tamen in rem suam, seu cessionarius, recte compensat, *l. 13. §. 1. de Pact. l. 25. de Procurat.* Sicuti ex adverso, si cessionarius agat, eidem objici potest compensatio, quæ ante cessionem ipsi cedenti obstabat, arg. *l. 10. 21. ff. h. t. l. ult. C. eod.* Nec interest, sive cessio ex causa onerosa, sive lucrativa, sive voluntarie, sive necessario facta sit; nec juvabit cessionarium, si omissa actione directa, utilem proprie nomine instituat; neque enim ulla ratione debitoris cessi conditio per factam cessionem deterior fieri debet, vid. *l. 76. de Solution.* Debitum vero, post cessionem superveniens, in compensationem non aliter venit, quam si debitori cessio nondum cognita sit. arg. *l. 3. C. de Novation.*

§. 5. Locum habet compensatio in rebus ejusdem generis & qualitatis; non autem species cum specie, aut quantitas cum specie compensari potest; nisi species venditionis gratia æstimata sit. arg. *l. 5. & 10. C. de Jur. dot.*

§. 6. In Compensationem deducuntur omnia debita, sive ex obligatione mixta, sive naturali tantum oriantur, si modo naturalis obligatio plena perfectaque, nec Jure Civili reprobata sit; *l. 40. pr. & 1. t. ff. de Condict. indeb.* Excipitur tamen depositum, idque propter fidem depositarii in hoc contractu singulariter electam; cui repu-

repugnare videtur, restitutionem depositi ullo modo aut prætextu denegari, *l. ult. C. h. t. l. penult. C. depos.* §. *30. I. de Action.* Vbi manifestum est, supponendum esse casum, quo res deposita non amplius extat, sed dolo vel culpa lata depositarii periit; nam si res deposita adsit, ex alio capite compensatio excluditur, quod nempe species in compensationem non veniat. Præterea hoc restringendum ad actionem depositi directam, nam in actione contraria, quæ tantum ad Interesse pecuniarium datur, utique compensationi locus est. arg. *l. ult. C. h. t.* junct. *l. 11. C. depos.*

§. 7. Delicta etiam suo modo compensationem admittunt; indeque paria delicta & dolus cum dolo compensari dicuntur, nempe quoad interesse privatum, seu civile, arg. *l. 1. h. t. l. 39. ff. Solut. matrim.* Vbi speciatim casus adulterii, ab utroque conjuge commissi, habetur, & in *l. 13.* §. *5. ad L. Jul. de Adulter.* periniquum esse dicitur, ut vir ab uxore pudicitiam exigat, quam ipse non exhibet; secus est, si de interesse publico agatur, pœna enim utrique delinquenti nihilo secius infligitur, quamvis aliquando hoc intuitu minui debeat; sic enim, si uxor civiliter ob adulterium ad dissolvendum matrimonium conveniatur, & utatur exceptione compensationis ratione adulterii a marito commissi, pœnam capitalem deinceps in Inquisitione cessare par est, quippequæ propter remissionem Conjugis cessat; atque nihil

hil intereſt, ſive remiſſio voluntaria, ſive neceſſaria ſit. Diſſentit *B. Stryk. in Annot. ad Lauterb. h. t.* ubi pœnam propterea non minui dicit.

§. 8. Præterea debitum non aliter in compenſationem deduci poteſt, quam ſi purum ſit, & ſtatim peti poſſit. *l. 7. pr. ff. de Compenſat.* Vnde creditor ſimplex, qui aliquid ſub haſta ex bonis debitoris emit, ratione pretii compenſare nequit, niſi prius hypothecariis, qui ipſum ordine præcedunt, ſatisfactum fuerit. Sic etiam liquidum cum illiquido compenſari nequit. *l. ult. §. 1. h. t.* Vnde in proceſſu executivo exceptioni compenſationis non aliter locus eſt, quam ſi in continenti ſit liquida.

§. 9. Cum ipſo jure compenſatio fiat, ſequitur, eodem momento, quo mutuum debitum exiſtit, idem quoad concurrentem ſummam extingui, adeoque pignora ſolvi, uſuras deſinere, & fidejuſſores liberari; unde nec Emphyteuta, ſi habeat, quod compenſet, tanquam ob non ſolutum Canonem Jure ſuo privari poteſt; quamvis conſultum ſit, intra tempus legale proteſtationem fieri.

§. 10. Cum autem mutui debiti exiſtentia facti ſit, exceptio compenſationis in judicio allegari & probari debet; cum eam divinare Judex non poſſit. Locum autem hæc exceptio habet etiam poſt ſententiam in ipſa executione; modo tunc in continenti ſit liquida.

§. 11.

§. 11. Vtrum is, qui Compensationem opponit, debitum fateri censeatur, dubium est; sed rectius negatur. Qui enim excipit, non intelligitur fateri, cum id semper fieri intelligatur sub tacita conditione, si debitum probatum fuerit.

§. 12. Exceptio compensationis semel opposita, sed quia probari non potuit, a Judice per sententiam non attenta, deinceps de novo opponi nequit; sed obstat res judicata; sin autem propterea non admissa fuerit compensatio, quia qualitas aliqua defuit, v. gr. quia debitum non fuit liquidum, tunc de novo opponi potest. *l. 7. ff. de Compens.*

Tit. III.
DEPOSITI VEL CONTRA.

§. 1.

DEpositum est Contractus realis, quo rei custodia gratuita ab aliquo recipitur, §. 3. *I. Quib. mod. re contrah. oblig.* Dividitur in depositum in specie sic dictum, & sequestrum. Illud est, quando res non litigiosa, vel litigiosa quidem, sed tantum ab uno litigantium simpliciter deponitur, arg. *l. 6. l. 12. pr. h. t.* Estque (1) vel regulare, ubi res deposita in specie restituenda est, §. 3. *I. Quib. mod. re contrah. oblig.* vel irregulare, ubi rebus fungibilibus depositis uti licet, eademque in genere restitui sufficit. (2)

vel voluntarium, quod fit ex libera voluntate, vel necessarium, quod ex necessitate, tempore ruinæ, tumultus aut naufragii fit; quod etiam miserabile dicitur. *l. 1. §. 1. & seqq. h. t.*

§. 2. Depositum in specie sic dictum cadit in omnes res, in commercio existentes, quæ custodiam recipiunt. Sed an etiam res immobiles huc pertineant, quæritur? Mihi verior sententia negativa videtur; ipsæ enim res immobiles non custodiuntur proprie, sed tantum custodiam circa rem recipiunt; qua ratione Leges obstantes intelligendæ sunt. Effectus quæstionis in hoc inprimis consistit, quod in deposito tantum culpa lata, in mandato autem leviſſima præstari debeat.

§. 3. Res deposita eodem modo restitui debet, quo recepta est. Vnde si cista clausa deposita, ac deinceps, cum restituitur, aperta sit, ac deponens res aliquas deesse asserat, admittitur ipse ad Juramentum, quo earum quantitatem demonstret, arg. *l. 1. §. 26. depos.* modo deponens integræ famæ ac fidei sit, nec depositarius contrarium probare queat.

§. 4. Restituendum est depositum ipsi deponenti, licet non sit Dominus; cum etiam res aliena deponi possit, *l. 1. §. 39. l. 31. §. 1. h. t.* adeo, ut etiam fur aut prædo repetitionem habeat. Quodsi tamen Dominus simul concurrat, is præferendus est. *l. 31. §. 1. h. t.*

§. 5. Ex depositio oritur actio depositi, eaque par-

partim directa, partim contraria. Illa datur contra depositarium, ad rem in specie restituendam; nisi sit depositum irregulare, ubi in genere fit restitutio; Contra heredes datur pro portione hereditaria, *l. 7. §. 1. l. 9. h. t.* nisi unus restituendi facultatem habeat, aut ex dolo suo conveniatur; sicuti etiam in deposito miserabili, ubi depositarius post inficiationem in duplum tenetur, nonnisi ad simplum conveniri queunt, nisi & ipsi dolum commiserint. *l. 1. §. 1. l. 18. h. t.*

§. 6. Actio hæc cum sit ex contractu, non datur contra successores singulares, *l. 8. C. h. t.* nec contra eum, apud quem depositarius rem iterum deposuit.

§. 7. Depositarius rem illico restituere tenetur, nec quadrimestre spatium habet, arg. *l. 11. C. h. t.*

§. 8. Præterea depositarius compensatione *l. 11. C. h. t.* aut retentione uti nequit, quamvis ob expensas necessarias *lit. l. 11. C.* Exceptio etiam rei non traditæ contra instrumentum depositi cessat, arg. *l. 14. §. 1. C. de Non numerat. pec.* ubi exceptio hæc ad casum non numeratæ pecuniæ restringitur, adeoque ad casum depositi non pertinet; præsertim cum nemo facile confessionem de recepto depositio dare soleat prius, quam revera acceperit. Nullum tamen dubium est, quin audiendus sit depositarius, si probare velit, se depositum non accepisse. Quo casu tamen in

processu executivo exceptio hæc tanquam altioris indaginis non admittitur, sed in reconventionem rejicitur.

§. 9. In Concursu Creditorum super bonis depositarii excitato, si res deposita adhuc extet, eadem ex concursu vindicatur, adeoque deponens omnibus aliis, etiam hypothecariis præfertur, arg. *l. 32. §. 1. ff. l. 8. C. h. t. l. 24. §. 2. de reb. autor. Jud. poss.* Sin autem non amplius extet, distinguendum est, utrum deponens usuras acceperit, nec ne; priori casu in ultima classe inter Chirographarios ponitur, *cit. l. 24. §. 2.* posteriori autem casu distinguendum rursus est, an usum rei depositæ expresse vel tacite concesserit, an non? si concessit, collocatur post privilegia, sed ante simplices Chirographarios, *cit. l. 24.* si vero non concessit, locus ipsi est adhuc ante personaliter privilegiatos, sed tamen post hypothecarios, de quo casu intelligenda, & hunc in modum cum *cit. l. 24. §. 2.* concilianda est *l. 7. §. 2. ff. h. t.* In Saxonia tamen utroque casu sine discrimine inter ipsos personaliter privilegiatos collocatur, eidemque, cum illis pro rata, nulla temporis ratione habita, satisfieri solet. Vid. *Ord. Proc. Sax. Tit. 49.* Quod & æquitati valde congruit, cum utique deponens, qui gratuitum rei usum concessit, propterea omni privilegio excidere, aut ex benignitate sua damnum sentire haud mereatur; unde hoc ipsum, quod in foro Saxonico obtinere dixi, genera-

neraliter receptum esse, memorat *Brunnem. de Concurs. credit. cap. 5. & 61. ibique B. Strykius.*

§. 10. Sequitur actio depositi contraria, qua depositarius ad indemnitatem consequendam experitur, si forte impensas in rem depositam fecerit, aut ex ea damnum senserit; v. gr. si vitiosa fuerit. Tenetur autem deponens de omni culpa, etiam levissima, cum ipse solus omnem utilitatem ex hoc contractu sentiat. Arg. *l. 61. §. 5. ff. de Furt.* junct. *l. 5. §. 2. ff. h. t.*

§. 11. Sequestrum est, quando res litigiosa apud aliquem ea lege deponitur, ut lite finita victori restituatur. Estque vel voluntarium, quod utriusque litigantis voluntate fit, vel necessarium, seu judiciale, quod fit autoritate Judicis, etiam parte invita. *l. 7. §. ult. Qui satisd. cog.* Idque ob justam demum causam locum habet, v. gr. metum armorum, aut dilapidationis, non regulariter, quia species executionis est. *L. un. C. de Prohib. sequestrat. cap. 1. X. de Sequestr. poss.*

§. 12. Transit in sequestrum nuda detentio, nisi aliud actum sit. *l. 39. de Acquir. & amitt. poss. l. 17. §. 1. h. t.* Datur ex sequestro actio depositi sequestraria, & quidem directa, si sit voluntarium, utilis autem, si necessarium sequestrum sit. Eadem actio depositi est vel directa, vel contraria.

Lib. XVII. Tit. I.
MANDATI VEL CONTRA.

§. 1.

MAndatum est contractus consensualis, quo quis alienum negotium gratis gerendum suscipit. *L. 16. l. 22. §. 11. h. t.* Estque (1) vel expressum, vel tacitum; quod iniri intelligitur, quando quis præsens negotium suum ab altero geri patitur, nec contradicit; *l. 18. h. t.* (2) vel universale, vel speciale; quo opus est, quoties negotium magni momenti ac præjudicii peragendum; (3) vel judiciale, vel extrajudiciale, de quo inprimis hoc loco.

§. 2. Mandatum contrahitur regulariter solius mandantis gratia. *§. 1. l. h. t.* Potest tamen aliquando etiam mandatarii, vel tertii utilitas in eo versari, *eit. §. 2.* modo aliqualiter mandantis etiam interfit, ne ipsi, si agere velit, exceptio deficientis Interesse obstet. *l. 8. §. 6. h. t.* Quod si solius mandatarii gratia fiat, revera mandatum non est, sed nudum consilium, quod nullam obligationem vel actionem parit. *§. 6. l. h. t.*

§. 3. Nihil vero interest, utrum mandatarius extrajudicialis ipse mandatum exequatur, an per alium; quem substituere potest, licet hæc potestas ipsi speciatim data non sit. *l. 8. §. 3. h. t. cap. 1. in fin. cap. ult. de Procurat. in 6.* Modo dominus expresse non prohibuerit, nec fidem ac industriam manda-

mandatarii singulariter elegerit. arg. *l. un. §. 9. C. de Caduc. tollend. cap. 12. de Offic. & potest. deleg. in 6.* Mandatarius ad litem vero non aliter substituere potest, quam si eam potestatem speciatim acceperit, aut litis dominus per litis contestationem factus sit. *l. 8. §. 3. h. t. cap. 1. de Procur. in 6.* Quod posterius tamen hodie non attenditur, sed post litem contestatam quoque non aliter substituendi facultas Procuratori competit, quam si in specie concessa fuerit.

§. 4. Nihil etiam refert, an quis ab initio negotium mandaverit, an vero negotii implementum superveniat, ac illud consummari patiatur; nam utroque casu pro mandato habetur, *l. 60. de R. J. l. ult. ad SCtum Maced.* Quodsi autem tum demum superveniat, ubi negotium jam absolutum, non mandatum, sed ratihabitio esse intelligitur, *l. 9. ff. & C. de Negot. gest.* adeoque manet negotiorum gestio, nec in mandatum transit. Effectus quæstionis pendet ex præstatione culpæ, cum in mandato leviſſima, in negotiorum gestione autem nonnisi levis præstanda veniat.

§. 5. Cadunt in mandatum facta honesta; nam ex mandato de re turpi nulla obligatio inter mandantem & mandatarium oritur. §. 7. *I. h. t.* Pecuniam tali casu prænumeratam, aliamve rem intuitu mandati turpis acceptam quis retinet; cum possidentis conditio melior sit; quoties dantis turpitudo simul subest. Si mandatum hujus-

modi executioni datum, indeque tertio nocitum sit, uterque, & mandans, & mandatarius, illi tenetur ex delicto, v. gr. actione L. Aquiliæ, aut injuriarum. *l. 11. §. 3. de Injur. l. 15. §. 1. ad L. Cornel. de sicar.*

§. 6. Mandatum originem suam ex amicitia trahit, adeoque sua natura gratuitum est, §. *ult. I. h. t.* in eoque a locatione differt. *l. 22. de Præscr. verb.* Honorarium tamen, quippe quod operæ præstitæ proportionatum esse non solet, recipit, *l. 6. pr. l. 7. ff. h. t.* add. arg. *l. 2. §. 23. ff. de Vi bon. rapt.* quod condictione certi, vel actione mandati contraria, vel extraordinaria persecutione petitur; prout nempe vel stipulatione, vel pacto, eoque vel in continenti, vel ex intervallo adjecto, promissum est. *l. 56. §. penult. h. t. l. 7. ff. l. 1. C. eod.* Si vero nihil, aut incertum promissum sit, regulariter nihil peti potest, *l. 56. §. penult. ff. l. 17. C. h. t.* nisi forte id tacite actum, ex conditione mandatarii appareat, v. gr. si hodie Advocatus causam alterius in judicio agat; habet enim imploratione officii judicis, ut compellat clientem ad honorarium pro ratione operarum præstitarum, atque dexteritatis suæ definiendum. Add. *l. 4. ff. de Extraord. cognition.*

§. 7. Ex mandato principaliter ac directo obligatur mandatarius ad restituendum id, quod ejus occasione accepit; mandans autem obligatur minus principaliter ad indemnitatem præstandam. Vnde oritur duplex actio mandati, una directa,

directa, contra mandatarium, altera contraria, adversus mandantem.

§. 8. Solvitur mandatum (1) dissensu mutuo; §. *ult. I. Quib. mod. toll. oblig.* (2) revocatione mandantis, modo res adhuc sit integra, seu mandatum nondum sit impletum, nec ejus intuitu expensæ factæ, alias enim actio ad indemnitatem mandatario competit; *l. 12. §. 16. l. 15. h. t.* (3) Renunciatione mandatarii tempestive facta; §. *11. I. h. t. l. 22. §. ult. h. t.* (4) Morte mandantis, modo res adhuc sit integra, §. *10. I. h. t.* ac nisi tale negotium sit, quod demum post mortem mandantis impleri debet; *l. 12. §. ult. l. 13. h. t.* (5) Morte mandatarii; quodsi tamen res non amplius sit integra, heredes ejus cœpta perficere tenentur. §. *10. I. h. t. l. 27. §. 3. l. 57. h. t.* A mandato differt consilium, quo quis alteri, quid sibi agendum videatur, ostendit, sine animo se obligandi, atque adeo is, qui consilium dedit, non tenetur, quemcunque exitum res habuerit; modo consilium non fraudulentum fuerit. §. *6. I. h. t. l. 2. §. ult. h. t.*

§. 9. Differt etiam a mandato nuda commendatio, qua persona, vel res alterius benevolentiæ simpliciter commendatur; quæ regulariter itidem nullam obligationem parit. *l. 12. §. 12. h. t. l. 37. de Dol. mal. l. ult. C. Quod cum eo, qui in al. potest. est.*

Tit. II.

PRO SOCIO.

§. 1.

SOcietas est contractus de rebus lucri causa communicandis. *l. 5. §. ult. h. t.* Estque vel universalis, vel particularis. Illa rursus est vel omnium bonorum, vel bonorum simpliciter.

§. 2. Societas omnium bonorum complectitur omnia sociorum bona, quocunque titulo honesto acquisita, etiam futura; & in hac societate omnes res præsentes ipso Jure communicantur sine vera traditione. *l. 1. §. 1. l. 2. h. t.*

§. 3. Societas universalis bonorum simpliciter comprehendit tantum ea, quæ ex quæstu percipiuntur, non quæ aliunde veniunt, v. gr. donationes, hereditates; *l. 7. l. 9. h. t.* In hac societate res non aliter communicantur, quam si actu collatæ sint. Arg. *l. 1. §. 1. h. t.*

§. 4. Particularis societas de una tantum re, vel certa negotiatione contrahitur. *pr. I. h. t.* Communicantur hic ea tantum, quæ ex illa re vel negotiatione proveniunt.

§. 5. Lucrum & damnum, si nulla conventio adsit, in societate omnium bonorum semper æqualiter, in societati bonorum simpliciter, nec non particulari, secundum proportionem collatarum rerum, ut & operarum præstitarum dividitur; quodsi

quodsi vero conventio adsit, illa attendenda est: valet enim omnis conventio, licet maximam inæqualitatem inferat, uno hoc casu excepto, quo sociorum aliquis omne damnum, aut ejus partem sine ullo lucro recepit; quæ societas leonina vocari solet. *l. 29. §. 2. h. t.*

§. 6. Ex societate oritur Actio pro socio, utrinque directa, quia omnes socii ab initio statim æque principaliter & directo obligantur.

§. 7. Socii sibi invicem ad levem culpam tenentur, & quidem in concreto spectatam, seu ad eam quisque diligentiam tenetur, quam alias in suis rebus adhibere solet; licet in illis negligentissimus fuerit, cum sibi hoc imputare debeat, qui cum tali homine societatem contraxit. *§. ult. I. h. t. l. 5. §. 2. Commod. vel contr.* Competit autem sociis, hac actione conventis, beneficium competentiæ; cum loco fratrum esse intelligantur, *§. 38. I. de Action. l. 63. pr. h. t.* modo non in dolo versentur, *cit. l. 63. junct. l. 22. §. 1. de Re jud.* neque inficiati sint, socios se esse. *l. 67. §. ult. h. t. junct. l. cit. 22.*

§. 8. Solvitur societas (1) morte, etiam unius, *§. 5. I. h. t. l. 65. §. 9. h. t.* neque transit ad heredes invitos, licet ita expresse convenerit, *l. 11. l. 52. §. 9. l. 65. §. 11. h. t.* excepta vectigalium societate; *l. 59. pr. h. t.* (2) pœnitentia, etiam unius *l. 4. §. 1. h. t.* propter odium communionis, quæ litium ac discordiarum mater esse solet; nisi so-

cietas

cietas ad certum tempus sit contracta, tunc enim ante illud elapsum non aliter recedi potest, quam si justa causa adsit, v. gr. si alter socius negligens fiat, aut rixosus sit, *l. 14. h. t. l. 65. §. 6. h. t.* alias renuncians socium quidem a se, non vero se a socio liberat, arg. *cit. l.* (3) finito negotio, intuitu cujus societas inita. *l. 65. §. 10. h. t.* item publicatione bonorum, *§. 2. I. h. t.* aut si alter socius bonis cesserit, § *8. I. h. t.* (4) lapsu temporis adjecti. *l. 65 §. 6. h. t.*

Lib. XVIII. Tit. I.

De
CONTRAHENDA EMTIONE.

§. 1.

EMtio venditio est contractus consensualis de re pro certo pretio tradenda. *pr. I. h. t.*

§. 2. Contractus hic solo consensu perficitur; unde scriptura ad ejus essentiam non requiritur, sed tantum melioris probationis gratia accedere solet; quod si tamen inter eos, qui contractum hunc inituri sunt, expresse convenerit, ut emtio venditio, non prius perfecta esse debeat, quam in scripturam redacta sit, conventio hæc efficit, ut scriptura, quæ regulariter nonnisi accidentale

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819013587/phys_0168
DFG

le emtionis venditionis est, jam substantiale fiat, *pr. l. h. t. l. 12. C. de Fid. instrum.* Vnde in hoc genere emtionis pœnitere licet tamdiu, donec scriptura perfecta fuerit; cum arrhæ tamen, si quæ data sit, jactura, *cit. text.* Cum vero ejusmodi conventio notissimos emtionis venditionis terminos excedat, non aliter inita intelligitur, quam si de illa expresse constet, alias enim censendum est, scripturæ mentionem nonnisi probationis gratia factam esse. Arg. *l. 1. §. 4. de Pignor. l. 4. de Fid. Instrum.*

§. 3. Contractus hic inter Patrem & filium, in ejus potestate constitutum, ratione peculii profectitii & adventitii valide celebrari nequit, propter vinculum unitatis, quod propter patriam potestatem inter utrumque intercedit, adeo, ut in iis rebus, quæ Patri acquiri possunt, vox filii simul vox patris esse intelligatur, vid. *l. 2. h. t.* Quod cum mutatum non sit, hodienum attendendum erit, adeoque invalida erunt negotia, quibus hodie sæpenumero rustici prædia sua liberis in potestate ipsorum constitutis citra formalem emancipationem, nec non peculiarem œconomiam institutam vendere solent; Equidem sunt, qui putant, hoc ipso, dum Pater cum filio hujusmodi contractum init, hunc tacite emancipatum videri, sed eorum opinio omni fundamento destituitur, cum mores hodierni, ad formalem emancipationem, quæ apud Romanos requirebatur, nullam alienam adjunxerint, quam eam,

eam, quæ in filio rationes œconomicas a paternis separando, in filia autem nuptias contrahendo, contingit.

§. 4. Si quis emat res potentia tantum existentes, distinguendum est, utrum directo ipsas res futuras v.gr. fructus nascituros emerit, an vero spem tantum, atque adeo ipsum percipiendi actum, v. gr. quicquid natum aut captum fuerit; priori casu tacita conditio subesse intelligitur, si modo aliquid natum aut captum fuerit, alias venditio retro nulla est. *l. 8. pr. h. t.* Posteriori casu autem integrum pretium debetur, quamvis nihil omnino captum sit. *cit. l. 8. §. 1. h. t.* Neque ad remedium, *l. 2. C. de Rescind. vendit.* recurri poterit, quippe quod in Emtione spei penitus cessat. In dubio Emtio rei esse intelligitur, quoties res naturaliter futura est, v. gr. fructus; emtio spei vero, quando res naturaliter jam adsunt, & in actu secundo existunt, sed tantum ratione contrahentium pro futuris habentur, *cit. l. 8. pr. & §. 1. h. t.*

§. 5. Si res per aversionem emantur, error in quantitate nihil obest, quippe quæ tantum demonstrationis gratia adjecta esse censetur, arg. *l. 40. §. 2. h. t. l. 24. de Act. emt. vendit.* Quod secus est, si emtio ad mensuram facta; tum enim quantitatis ratio ineunda erit; *cit. l. 40. §. 2.* & juxta eam quidem mensuram, quæ in loco rei sitæ, non loco Contractus est.

§. 6.

§. 6. Socius in re communi partem suam etiam invito socio vendere potest, *l. 68. pro soc. l. 23. C. de Comm. rer. alienat.* Cum de parte sua liberum disponendi arbitrium habeat; si modo conditionem ipsius fundi deteriorem non reddat; quod fieri intelligitur per impositionem servitutis; unde hæc ipsi non est permissa, *l. 6. §. 1. comm. præd.* Contra in venditione partis ipse fundus deterior non fit, nec alteri præjudicium infertur; quippe qui, si novum emtorem socium habere nolit, provocando ad divisionem se ab ipso liberare potest. Nec vero obstat *l. 28. ff. comm. divid.* ubi in re communi prohibentis conditio melior esse dicitur. Intelligenda enim est de casu, quo quis de re tanquam communi, non ubi separatim de parte sua disponere vult.

§. 7. Præterea res aliena quoque vendi potest, cum venditor non præcise teneatur dominium in emtorem transferre, sed satis sit, si emtori habere liceat, idemque in usucapiendi conditione constituatur, & venditor ad evictionem præstandam obligatus sit. *l. 28. h. t. l. 30. §. 1. & ult. de Act. emt. l. 3. C. de Eviction.*

§. 8. Pretium, de quo ab initio convenit, consistere debet in pecunia numerata, *§. 2. I. h. t. l. 1. §. 1. h. t.* Sin autem loco pecuniæ res promittatur, negotium incidit in Contractum innominatum. Potest tamen salva natura emtionis venditionis pretium partim in re, partim

in

in pecunia numerata consistere; modo id expresse contrahentes egerint, ut venditio esset, arg. *l. 6. §. 1. l. 12. §. 4. de Action. emt.* In dubio autem attendendum est, utrum prævaleat res, an pecunia. Priori casu est permutatio, posteriori autem manet emtio venditio, *l. 6. C. de Pact. int. emt. & vendit.* Sin æqualia sint, res & pretium, dubitari solet, utrum tale negotium pro emtione venditione, an permutatione haberi debeat? Quod posterius hoc fundamento vulgo defenditur, quod permutatio sit Contractus antiquior. Enimvero magis probabile ac in dubio præsumendum est, quod partes Contractum frequentiorem ac firmiorem celebrare voluerint. Effectus quæstionis consistit in hoc, quod in permutatione ante alterius partis implementum pœnitentiæ locus sit, quod in Emtione venditione secus est. Quamvis discrimen hoc hodie cessare putem, cum non magis in contractibus innominatis, quam nominatis, pœnitere liceat.

§. 9. Præterea pretium debet esse verum, non dicis gratia constitutum; alias enim revera donatio subest, quæ inter non conjuges valet. *l. 16. ff. de R. J. l. 53. h. t.*

§. 10. Debet etiam pretium esse certum. §. 1. *I. h. t. l. 25. §. 1. h. t.* Est vero pretium certum vel per se, vel per relationem ad aliud, v. gr. quanti ego emi; quæ certitudo deficit, si in unius ex contrahentibus arbitrium venditio collata sit, quæ tunc ipso Jure nulla est, cum revera in alte-

alterius arbitrio positum foret, an obligari vellet, nec ne. *l. 35. §. 17. h. t. l. 13. C. eod.*

§. 11. Denique pretium debet esse justum; ubi, cum inter Venditoris & Emtoris vota carius vendendi & vilius emendi non omnis læsio corrigi possit, propter commerciorum utilitatem constitutum est, ut pretium pro justo censeri debeat, quando dimidium valorem rei venditæ attingit, *l. 2. C. de Rescind. vendit.* Modo læsio ex re ipsa contingat, non fraude venditoris; alias enim omnis læsio corrigi debet. *l. 13. §. 4. & 5. de Act. emt. vendit. l. 43. §. ult. h. t.*

§. 12. Emtioni venditioni contrariatur (1) dolus, *l. 5. C. de Risc. vend.* qui, si causam huic contractui dederit, eundem, sicuti omnia alia bonæ fidei negotia, ipso jure nullum reddit, *l. 7. pr. ff. de Dol. mal. l. 16. §. 1. de Min.* Sin autem in eundem inciderit, contractus subsistit, & dolus purgatur vel actione ex contractu, *l. 13. §. 4. & 5. de Act. emt. vend.* vel exceptione doli; si nempe alter, qui decepit, ex contractu adversus deceptum agat; eademque doli exceptio bonæ fidei judiciis inesse dicitur; *l. 3. ff. de Resc. vend.* (2) Metus justus; ob quem tamen contractus non ipso jure nullus est, sed tantum per restitutionem in integrum rescinditur. (3) Error circa contractum, vel personam, vel pretium; tunc enim emtio nulla est; quod & juris est, si circa ipsum rei corpus, aut in tota ejus materia error com-

missus sit. Sin autem tantum circa qualitates erratum sit, emtio subsistit, nec nisi actio ad Interesse datur, (4) Simulatio, (5) Obscuritas & ambiguitas.

Tit. II.

De IN DIEM ADDICTIONE.

§. 1.

ADdictio in diem est pactum, quo inter emtorem & venditorem convenit, ut si alius meliorem conditionem obtulerit, huic rem venditam addicere liceat. *l. 1. h. t.* Estque vel tacita, vel expressa; illa ex ipsa legis dispositione inest, hæc vero a contrahentibus nominatim adjicitur.

§. 2. Tacita addictio in diem in venditionibus sub hasta subesse intelligitur. Licitatori enim res vendi censetur pro eo, quod offert, licito; nisi scilicet intra subhastationis tempora majus licitum ab alio oblatum fuerit; unde consequitur, licitatori haudquaquam pœnitere licere, sed expectandum esse eventum, utrum alius plus licitaturus sit. Perfecta enim venditio cum eo contracta est, sub pacto addictionis in diem; quamvis hoc in praxi fere negligi soleat.

§. 3. In addictione in diem semper subest conditio, eademque vel suspensiva, qua pendente, ipsa

ipsa venditio in pendenti & imperfecta est, *l. 7. pr. de Contrab. emt.* vel resolutiva, ut regulariter fieri solet; & tum emtio venditio statim perfecta est, ac dominium rei venditæ, aut, si tradens dominus non fuerit, usucapiendi conditio in accipientem transfertur. *l. 2. §. 3. & 4. Pro emt. l. 4. §. 3. h. t.* Præterea emtor omnes fructus & commoda, licet tantum revocabiliter, percipit. *l. 4. §. 4. h. t. l. 2. §. 4. Pro emt.* Periculum etiam ad ipsum, tanquam dominium, pertinet. *l. 2. §. ult. h. t.*

§. 4. Quodsi conditio existat, & alius meliorem conditionem offerat, emtio resolvitur, ac retro pro non facta habetur. *l. 2. pr. l. 9. h. t.* Unde venditor ipso jure dominium recipit, perinde ac si illud semper retinuisset.

§. 5. Requiritur autem, ut pactum hoc verbis directis ac resolutivis conceptum sit, v. gr. res sit inemta, venditio sit nulla. Talia quoque verba per necessariam consecutionem sunt, quod venditor rem suam recipere aut vindicare possit. Igitur verba obliqua, v. gr. quod res restitui debeat, hoc non operantur. arg. *l. 3. C. de Pact. int. emt. & vend.*

§. 6. Habet autem existente casu, quo alius meliorem conditionem offert, prior emtor jus prælationis, si idem offerat. *l. 6. §. 1. l. 7. & 8. h. t. l. 11. pr. h. t.*

Tit. III.

De

LEGE COMMISSORIA.

§. 1.

ALiud exemplum pacti resolutivi, quod emtioni venditioni adjici solet, est Lex commissoria, qua inter emtorem & venditorem convenit, ut pretio non soluto res inemta esse debeat. *l. 1. seqq. h. t.* Requiruntur autem & hic verba directa, nec obliqua vel ambigua sufficiunt. arg. *l. 3. de Pact. int. emt. & vend.*

§. 2. Pendente hac conditione emtor est dominus rei traditæ, aut si a non domino acceperit, eandem usucapit, *l. 74. de Contrab. emt.* fructus ad ipsum pertinent, *l. 5. h. t.* eidemque res perit. *l. 2. in fin. h. t.*

§. 3. Adjicitur Lex commissoria vel cum die, vel sine die. Priori casu conditio existere intelligitur, si intra tempus præfinitum non omne pretium solutum, aut alio modo venditori satisfactum sit; arg. *l. ult. h. t.* nec interpellatione ejusdem opus, cum ipse dies pro homine interpellet; *l. 4. §. ult. h. t.* si modo per emtorem steterint, quo minus solutionem præstaret. *l. 4. §. ult. l. 6. pr. l. ult. h. t.*

§. 4. Sin autem nullus dies adjectus sit, tunc resolutiva hæc conditio non aliter existere censetur, quam si emtor post modicum tempus per inter-

interpellationem in mora! constitutus fuerit; arg. *l. 23. de Oblig. & act.* Utroque casu emtio ipso jure resolvitur, ac dominium sine traditione ad venditorem redit, perinde ac si nihil actum esset. *l. 2. l. ult. h. t.* Unde venditor rem a quocunque vindicare, nec non actione venditi ad fructus & damna contra emtorem experiri potest. *l. 6. §. 1. de Contrab. emt.* Præterea arrham, vel partem pretii solutam retinet, idque propter fidem ab emtore non servatam. *l. 4. §. 1. h. t.* Quo tamen casu fructus interim perceptos emtor haud restituit. *l. 4. §. 1. h. t.*

§. 5. Lex commissoria aliis quoque negotiis & contractibus, præter pignoratitium, accedere potest; in pignore enim ob usurariam pravitatem, quæ subesset, locum non habet.

§. 6. Pacto huic simile est illud, quo venditor ante traditionem, vel in ipsa traditione rei venditæ dominium sibi reservat tamdiu, donec omne pretium penitus solutum fuerit: cujus pacti præcipuus effectus est, quod in concursu creditorum venditor, ceu dominus, omnibus aliis creditoribus præferatur. Add. *Carpz. P. 1. Const. 28. def. 21.*

Tit. IV.

De HEREDITATE ET ACTIONE VENDITA.

§. 1.

HEreditas vel præsens est, vel futura. Hæc est vel hominis incerti, vel certi. Si vendatur hereditas tertii incerti, valet venditio, & emtio spei esse intelligitur. arg. *l. 3. §. 2. Pro soc. l. 8. de Contrab. emt. & vend.*

§. 2. Si tertius, cujus hereditas futura venditur, certus sit, venditio non aliter subsistit, quam si hic consentiat, in eaque voluntate usque ad mortem perseveret. arg. *l. ult. C. de Pact.*

§. 3. Si quis alteri hereditatem præsentem vendiderit, ea revera delata esse debet, alias pretium cum Interesse repetitur, *l. 7. & seqq. ff. h. t.* nisi forte venditio spei subsit. *l. u. h. t.*

§. 4. Si hereditas aliena vendita sit, interest, utrum venditio facta sit simpliciter, an restricta ad jus, quod venditor in ea habuit. Priori casu venditor præstare tenetur vel ipsam hereditatem, vel ejus æstimationem una cum Interesse emtoris. *l. 8. h. t.* Posteriori autem casu emtio subsistit, licet venditor nihil juris in hereditate vendita habuerit; *l. 13. h. t.* modo non sciens, nihil sibi juris competere, eandem vendiderit; tum enim ex dolo tenetur. *l. 12. h. t.*

§. 5. Vendita hereditate venditor heres quidem manet; *l. 88. de Hered. instit.* tenetur autem hereditatem tradere, nisi quod ad rerum singularum evictionem haud obligatus sit. *l. 1. C. de Evict. l. 25. §. 1. de Contrab. emt.* Emtor vero nun-

nunquam heres fit. arg. *l. 2. C. h. t.* Unde creditoribus hereditariis, item legatariis & fideicommissariis non ipse, sed venditor respondere cogitur. *cit. l. 2.* In effectu tamen heres esse intelligitur, & nec plus, nec minus juris habet, quam heres. *l. 2. pr. §. 3. & 8. h. t. l. 4. C. eod.*

§. 6. Ratione actionum videndum est, an cessio facta sit, nec ne. Priori casu emtor ipsas actiones directas tanquam Procurator in rem suam exercet; *l. 5. C. h. t. l. 34. l. 42. §. 2. de Procurat.* Sin autem cessio nondum facta sit, habet tantum actiones utiles suo nomine ex rescripto Divi Pii contra debitores hereditarios exercendas, *l. 16. de Pact. l. 5. C. h. t.* quamvis reales sint. arg. *l. ult. C. h. t.*

§. 7. Sequitur altera pars hujus tituli, quæ agit de actione vendita. Est autem venditio actionis, quando pro actione alteri cedenda certum pretium promittitur. *l. 5. §. 2. Quib. mod. pign. solv. 36. ff. de Fidejuss.*

§. 8. Licita actionis venditio regulariter est; excipiuntur (1) potentiores sub pœna amittendæ actionis, aliave arbitraria. *l. 2. C. Ne lic. potent.* (2) Judæi, qui Christiano contra Christianum actionem sub ejus jactura vendere prohibentur. *Rec. Imp. de anno 1551. §.* Diesen zu begegnen; Et Magistratus, super hujusmodi emtione instrumentum conficiens, infamis fit, & ab officio removetur. *c. l. §.* Zudem wollen ꝛc. (3)

Tutores & Curatores, qui contra pupillos vel minores actiones emere sub pœna amittendi juris sui vetantur. *Nov. 72. cap. 5.*

§. 9. Vendi possunt regulariter omnes actiones tam reales, quam personales, etiam ex delicto descendentes, v. gr. actio injuriarum æstimatoria, arg. *l. ult. C. h. t.* add. *l. 11. §. 2. l. 17. §. 19. ff. de Injur. l. 42. §. 1. de Procurat.* Item actio donationis propter ingratitudinem revocatoria. *cit. text.* add. *l. 1. ff. de Procur.* Nec obstat (1) quod hæ actiones non transeant in heredes; inde enim non sequitur, quod cedi haud possint, cum multa morte finiantur, de quibus tamen vivus quis valide disponit. Vid. *l. 13. §. 2. l. 67. de Usufr.* Nec obstat (2) quod tendant ad vindictam; nullibi enim prohibitum, ne hujus generis actiones vendantur, cum sufficiat, quod Interesse pecuniarium contineant.

§. 10. Non autem cedi possunt (1) actiones criminales, quippe quæ non privatum, sed publicum Interesse persequuntur; §. *10. I. de Injur. l. 9. §. 5. de Public. & vectig.* (2.) litigiosæ, *l. 2. l. ult. C. de Litigios.* (3) actiones, intuitu usus competentes, cum hic personalissimus sit, & pro conditione personæ usuarii æstimandus, *§. 1. I. de Us. & habit.* (3) actio, quæ competit ad uxorem exhibendam & ducendam; *l. 2. ff. de Liber. exhib.* (4) actio ad rem ex retractu gentilitio retrahendam extraneo vendi nequit.

§. 11.

§. 11. Facta venditione actionis venditor eam tenetur cedere seu præstare, & mandare, ut eam emtor nomine venditoris exercere possit. *l. 4. C. de Procurat. l. 8. in fin. Mand.* Et quod in rebus est traditio, ejus loco in actionibus cessio esse videtur; *l. 4. h. t.* quæ cessio etiam nuda voluntate quocunque modo declarata fieri intelligitur. arg. *l. 1. §. 1. Mand. l. 43. pr. de Procur.* In nonnullis tamen locis autoritas judicialis requiritur.

§. 12. Tenetur autem venditor præstare actiones veras, quamvis non sint bonæ, h. e. licet debitores forte non solvendo sint; *l. 4. h. t. l. 14. §. ult. de Evict.* Excipe (1) si venditor sciens actionem inanem, aut debitorem brevi decocturum, actionem vendiderit, idque emtorem celaverit; arg. *l. 74. §. ult. de Evict.* (2) si præcise nomen bonum promiserit. *l. 4. h. t.* Quo tamen casu sufficit, illud tempore contractus bonum fuisse, licet ex postfacto tale esse desierit. arg. *§. 3. I. de Emt. vend. l. 96. §. 2. de Solut.*

§. 13. Post factam actionis cessionem venditor juris intellectu manet adhuc creditor, & actionis dominus. *l. 3. C. de Novat. l. 9. C. de Procur.* Vnde omnia tanquam verus creditor potest; nempe contra debitorem agere, ipsum liberare, cum eo paciscí & transigere, quamdiu debitori cessio nondum est denunciata, nec is aliunde certam ejus notitiam habet. *l. ult. ff. de Transact. l. fin. de Act. emt. vend. l. 3. C. de Novat.* Vnde cessionario opera danda, ut debito-

rem quamprimum de facta cessione certiorem reddat.

§. 14. Emtor, qui post factam cessionem cessionarius audit, in effectu creditor esse intelligitur, adeoque actiones sibi cessas nomine cedentis quidem, sed tamen in rem seu utilitatem suam exercet. Potest tamen, si velit, etiam nomine proprio actiones utiles instituere. Vid. *l. 55. de Procurat.*

§. 15. Cessionarius omni jure & privilegio cedentis utitur, modo ipsi causæ & actioni cohæreat, *l. 5. C. h. t.* non autem ad venditoris personam restrictum sit; nisi venditor sit fiscus, hic enim etiam personalia privilegia in emtorem transferre potest. *l. ult. C. de Privil. fisc.* Neque etiam emtor proprio jure ex sua persona competente, uti potest, quippe quod in præjudicium debitoris cederet, cujus conditio per cessionem factam deterior reddi non debet; quamvis forte cessionarius utili actione experiri velit. arg. *l. 19. pr. de Judic.*

§. 16. Qui pro exiguo pretio actionem comparare intendit, tanquam alienæ litis redemtor coërcetur L. Anastasiana, *l. 22. 23. C. Mand.* cui ut locus sit, requiritur (1) ut vendita sit actio viliori pretio; (2) ut emtor venditorem ad vendendum quasi induxerit, vel debitoris vexandi, vel certe improbi lucri captandi causa. *cit. l. 22.*

§. 17.

§. 17. Hæc requisita si adsint, cessio tantum valet ratione ejus, quod datum est cum usuris, superfluum vero manet regulariter apud cedentem, ita, ut hic ad illud petendum salvam actionem retineat. *l. 9. ff. Quæ in fraud. cred l. 41. ff. de Pœn.* Nisi ipse cum emtore in fraudem Legis colluserit, tunc enim superflúo indignus est, idemque debitori cedit, arg. *l. 12. Quod met. caus. junct. l. 7. C. Und. vi.* Non autem fisco, ut aliqui Dd. volunt. Vid. *l. 10. de Jur. fisc.*

§. 18. Hæc L. Anastasiana non abrogata est, adeoque hodienum attendenda, arg. *l. 27. C. de testam.* In Saxonia tamen venditio actionis viliori pretio facta subsistit, modo facta sit judicialiter, nec læsio ultra dimidium subsit. *Dec. El. 28.*

Tit. V.

De RESCINDENDA VENDITIONE, ET QVANDO LICEAT AB EMTIONE DISCEDERE.

§. 1.

VEnditio ipso jure valida tum ob alias causas, tum in primis etiam propter læsionem ultra dimidium, Judicis sententia dissolvitur, in quem finem introductum est remedium, *l. 2. C. de Rescind. vend.* quod in judicium deducitur, vel per modum

modum exceptionis, si nempe lædens adversus læsum ex contractu emtionis venditionis agat, arg. *l. 156. §. 1. de R. J.* vel per modum actionis, quam alii condictionem ex Lege, alii restitutionem in integrum civilem vocant; quamvis nulla solida ratio impediat, qua minus ipsa actio emti ob hujusmodi enormem læsionem competere possit; actiones enim bonæ fidei, qualis hæc est, ad omne id, quod contrahentes ex æquo & bono sibi præstare debent, dantur; *l. 31. §. 20. de Ædilit. Edict.* nec semper præcise ad implendum, sed aliquando etiam ad contractum rescindendum tendunt. *l. 11. §. 3. & 5. de Act. emt.*

§. 2. Requiritur, ut huic remedio locus sit, læsio, dimidium excedens, *l. 2. l. 8. C. h. t.* nec sufficit, si læsio dimidium justi pretii excedat, ut aliqui explicant. Sic ergo, si verum rei venditæ pretium sit 8. thaleror. dabitur hoc remedium emtori si ultra sedecim solverit, non vero, si ultra duodecim excessus; sicuti etiam non attendendum est, quantus sit ultra dimidium; nam & propter læsionem enormissimam, quæ longe ultra dimidium est, emtio venditio hoc remedio rescinditur, non vero ipso jure nulla est, ut aliqui volunt; quorum opinionem nihil juvat, quod ex læsione enormissima dolum præsumendum esse contendant. Dolus enim non ex ipsa læsione enormissima, sed ex proposito & animo æstimandus est, præsertim cum nec omnis dolus proprie

ac

ac vere talis emtionem venditionem ipso jure nullam reddat, sed is tantum, qui causam eidem dedit. Add. *l. 2. & 8. C. h. t.* Effectus quæstionis consistit in hoc, quod eo casu, quo emtio nulla est, remedium seu querela nullitatis ad annullandum contractum competat, contra remedium *l. 2.* non præcise ad rescindendam emtionem detur, sed reus electionem habeat, utrum læsionem corrigere, an a contractu recedere velit.

§. 3 Læsionem ultra dimidium probare debet is, qui eam sive agendo, sive excipiendo, allegat. arg. *l. 5. C. de in integr. restit.* Fieri autem probatio hæc potest non solum per instrumenta & peritos rerum æstimatores, sed etiam per delationem juramenti, nullibi enim hoc prohibitū est.

§. 4. Locum habet querela *l. 2.* non solum in venditione, sed & locatione, imo in omnibus negotiis, ubi alter alteri vicissim aliquid præstare tenetur. Non autem datur tertio, nisi ejus, qui læsus est, hæres factus sit; tum enim hoc remedio ex illius persona utitur. Eadem ratione venditor ultra dimidium læsus non potest movere hanc querelam contra tertium possessorem, nisi forte in fraudem ejus alienatio facta sit, ejusdemque fraudis emtor particeps fuerit; tunc enim ex *Edicto de his, quæ in fraud. creditor.* venditori succurrendum esse videtur.

§. 5. Locum habet hæc querela in omni emtione Venditione, licet a Judice confirmata, aut præ-

prævio ejus decreto facta sit; nisi forte super ipsa rei æstimatione causæ cognitio & decretum intervenerit, vid. *l. 7. C. de Sent. & interloc.* Non etiam locum habet in venditionibus sub hasta, si fraus absit.

§. 6. Remedium hoc alternative datur, ut reus læsionem vel corrigat, vel contractum rescindi patiatur, *l. 2. C. h. t.* Unde actor observare debet, ut petitum libelli alternative formet, alias enim ineptus erit; quamvis eundem clausula salutari adjecta sustineri communiter Dd. velint.

§. 7. Si Contractus ob læsionem ultra dimidium rescissus sit, Gabella, fisco soluta, repeti nequit: quia hæc præcise intuitu contractus solvitur, qui utique hoc casu validus erat, quamvis ex post facto rescissus fuerit. Secus est in Laudemio; utpote quod non simpliciter pro contractu, sed hoc inprimis intuitu præstatur, ut Dominus emtorem pro Emphyteuta agnoscere debeat. Add. *Frantzk. de Laud. cap. 14. n. 180.*

§. 8. Querela hæc enormis læsionis instituenda est in foro domicilii, non autem in loco rei sitæ; quia est actio personalis; nec in loco contractus, quia ibi tantum ad implendum, non vero ad rescindendum contractum, agitur.

§. 9. Cessat hæc querela (1) si in specie illi renunciatum, arg. *l. penult. C. de Pact.* (2) si major mediante juramento Contractum servare promise-

miserit, arg. *l. 1. & seqq. Auth. Sacramenta puberum C. Si adverſ. vendit.* add. *l. 77. §. 23. de Legat.* Minoris autem Juramentum hoc remedium civile, quod ipsis majorennibus competit, non tollit, sed explicandum est de beneficiis, quæ intuitu ætatis a Lege concessa sunt, nisi aliud actum esse appareat, v. gr. si juraverit minor, quod nec intuitu ætatis, nec alio quocunque modo aut prætextu contractum impugnare velit; (3) si lapsi sint 30. anni; quia est remedium civile. arg. *l. 3. & 4. de 30. vel 40. ann. præscr.*

§. 10. Si emtio venditio perfecta, nec læsio ultra dimidium subsit, alter altero invito ab ea recedere nequit, *l. 6. C. h. t.* Mutuo vero dissensu contractus hic consensualis sine dubio dissolvitur, *l. 3. h. t. l. 2. C. quand. lic. ab emt. disced.*

Tit. VI.

De PERICVLO ET COMMODO REI VENDITÆ.

§. 1.

QUamprimum emtio perfecta est, scilicet per Consensum in rem & pretium, purum, nec sub aliqua conditione suspensum, ad Emtorem omne commodum & periculum rei venditæ pertinet. §. 3. *I. de emt. & vend. l. 7. pr. l. 8. §. ult. h. t.* quamvis venditor, quamdiu rem nondum

dum tradidit, ejus dominium retineat, §. 3. I. de Emt. vend. Cum enim sit debitor speciei, casuale damnum circa eam eveniens non ad ipsum, sed ad emtorem pertinet, l. 23. de V. O. adeoque pretium exigendi vel retinendi jus perinde habet, ac si rem tradidisset. l. 5. §. ult. de Resc. vend.

§. 2. Ab hac regula excipiuntur sequentes casus: (1) si venditoris dolus, lata vel levis culpa ad casum ordinata præcesserit; sic enim casus non amplius fortuitus esse intelligitur, & in hoc negotio bilaterali venditor omne damnum culpa lata vel levi datum resarcire tenetur, §. 3. I. de Emt. vend. l. 5. §. 2. Commod. (2) si venditor in mora rei tradendæ fuerit, eademque post moram perierit, l. 4. l. ult. C. h. t. nisi forte mora per subsecutam traditionem actualem purgata sit; l. 17. h. t. (3) si venditor periculum in se receperit; l. 1. pr. h. t. (4) si res ex vitio præcedente perierit, l. 1. & ult. C. h. t. quod præsumitur a Dd. si animal intra triduum a tempore venditionis contractæ mortuum sit, adeoque tum onus probandi contrarium venditori incumbit.

§. 3. Quamdiu emtio nondum perfecta existit; periculum regulariter venditoris est. Habetur autem emtio ratione periculi pro imperfecta (1) si convenerit, ut in scriptis fieret, nec tamen scriptura adhuc perfecta sit, arg. l. 4. C. h. t. §. 3. I. de Emt. vend. l. 17. C. de Fid. instrum. (2) si emtio facta sit sub conditione suspensiva, & hac

hac pendente res perierit; tunc enim venditori perit. *l. 8. pr. l. penult. C. h. t. junct. l. 7. pr. de Contrab. emt.* Secus est, si res tantum deteriorata sit; sic enim damnum ad emtorem pertinet, adeo, ut nec remedio *l. 2. C. de Resc. vend.* uti possit. *cit. l. 8.* (3.) Si venditio ad quantitatem facta sit; tunc enim res periculo venditoris tamdiu jacet, donec admensio uel appensio sequatur; *l. 1. §. 1. l. 5. h. t. l. 2. C. h. t.* nisi aliter convenerit, aut res sine admensione emtori tradita sit *l. 2. C. h. t.* aut ipse emtor in mora fuerit; *cit. l. 2. C. h. t. l. 1. §. 3. l. 2. §. 1. h. t.* adeo, ut stricto jure venditor interdum effundere vinum venditum possit; quo tamen jure laudabilius non utitur; *l. 1. §. 3. & 4. l. §. 2. pr. l. 4. ult. h. t.* (4.) Si res ad gustum sit vendita, tunc periculum ante degustationem venditoris est, *l. 4. §. 1. h. t.* ipsumque vinum adhuc improbari potest; *l. 34. §. 5. de Contrab. emt. vend.* (5.) Si res certi generis, nullo individuo demonstrato, vendita sit, periculum itidem ad venditorem pertinet; quia genus perire non intelligitur, arg. *l. 8. h. t. l. 11. C. de Reb. cred.* nisi emtor certum individuum signaverit; Illa signatio enim instar traditionis se habet, atque periculum in emtorem transfert. *l. 14. §. 1. h. t.*

§. 4. Quando duæ res alternative venditæ sunt, ante electionem emtoris, illius rei, quæ prius perit, periculum ad venditorem, quæ autem posterius, ad emtorem pertinet. Una enim res

semper periculo emtoris est, adeoque, si utraque perierit; pretium nihilominus venditori solvendum. *l. 34. §. 6. de Contrah. emt.*

Lib. XIX. Tit. I.

De

ACTIONIBVS EMTI ET VENDITI.

§. 1.

EX emtione venditione oritur actio utrinque directa; una datur emtori, indeque actio emti dicitur, altera venditori, quæ hinc actio venditi audit.

§. 2. Actio emti nascitur quidem in actu primo statim, atque perfecta est emtio venditio, quamvis pretium nondum sit solutum; §. *1. I. de Emt. vend.* non tamen prius cum effectu institui potest, quam ipse emtor ex sua parte contractui satisfecerit, aut fides ipsi de pretio sit habita; quod non præsumitur, sed ab asserente probandum est; unde venditor actione venditi conventus tutus est exceptione non secuti implementi seu pretii non soluti; quæ & tunc locum habet, quando ex instrumento super emtione venditione confecto executive agitur; Processus enim executivus tamdiu suspenditur, donec implementum ab emtore probatum sit.

§. 3. Sin-

§. 3. Singulare in emtione venditione est, quod ne quidem dominium rei venditæ per traditionem in emtorem transeat, nisi venditori pretium solutum, aut alio modo satisfactum, aut denique fides de pretio sit habita. Censetur enim traditio tacitam hanc conditionem; *si pretium solveris*, complecti. §. *41. I. de Rer. divis. l. 19. de Contrab. emt. vend.* Imo ne tum quidem dominium in emtorem transit, si venditor ad fidem de pretio habendam dolo emtoris, qui forte brevi decocturus erat, inductus fuerit; unde tali casu in concursu creditorum venditor tanquam dominus rem suam vindicare potest, adeoque reliquis creditoribus præfertur. Vid. *l. 5. §. 19. de Tribut. act.*

§. 4. Petitur actione emti rei venditæ traditio, quæ præcise facienda est, nec liberabitur venditor præstatione ejus, quod interest; cum ad dandum sit obligatus, & factum, quod hic subest, non nudum, sed ad rem in emtorem transferendam directum sit. §. *1. I. de Emt. vend. l. 6. C. de Resc. vend.* Add. *l. 13. §. ult. ff. de Re jud.*

§. 5. Intelligitur autem res vendita tradi, quando vacua ejus possessio præstatur, *l. 2. §. 1. l. 3. h. t.* h. e. ut nullus alius eam vel civiliter possideat, vel naturaliter; atque adeo etiam a nudo detentore liberari debet.

§. 6. Rei venditæ hoc modo traditæ dominium

in emtorem transfertur, si tradens venditor ipse dominus fuerit; sin autem non fuerit, transit tantum usucapiendi conditio. In Saxonia autem insuper quoad bona immobilia resignatio dominii judicialis requiritur ad hoc, ut emtor dominus fiat; Es muß der Verkäuffer die Lehen an dem verkaufften Stücke Guth auffiassen, und solches dem Käuffer hinwiederumb in Lehen und Würden gerichtlich übergeben werden. Vid. *Decis. Elect. 61.*

§. 7. Præstanda est res vendita libera (1) a servitutibus; alias sciens propter dolum ad Interesse tenetur. *l. 1. §. 1. l. 15. pr. l. 39. h. t.* Ignorans vero obligatur quanti minoris alter emturus fuerat, si scivisset, servitutem impositam esse. *l. 61. de Ædilit. Edict. l. 15. §. ult. de Evictionem.* (2) A pensitatione; ubi idem juris est, quod modo de servitutibus diximus; nisi tributa nova sint, quæ demum post venditionem imposita fuerunt, vel usitata, quæ communiter omnibus ejusdem generis rebus inhærent. Horum enim nomine venditor emtori nequaquam tenetur. arg. *l. 1. §. 1. l. 41. h. t. l. 11. pr. de Evict.* Quid vero, si venditor pacto tributa in se receperit? Tale pactum invalidum esse ratione fisci, certum est. *t. t. C. Sin. cens. vel reliq. fund.* At enim vero, quin subsistat inter ipsos contrahentes, haud dubito; cum sic fisco nihil decedat, & venditor nonnisi ad id, quod interest, ab emtore conveniatur. (3) A pignoris nexu; alias emtor contra venditorem, pretium

tium petentem, habet exceptionem doli, *l. 5. C. de Evict.* vel compensationis; si ipse debitum solvendo rem a pignore liberaverit. *l. 10. C. de Compens.*

§. 8. Tradenda est res cum fructibus, tam naturalibus, quam civilibus. Quod ad naturales attinet, ad emtorem pertinent, qui tempore venditionis adhuc pendent, & cum re vendita cohærent; quamvis sint iam maturi, *l. 13. §. 10. h. t.* ac ante traditionem a venditore percepti, seu a solo separati sint, *cit. l. 13. §. 18. h. t.* nec in tradendo mora admissa, *l. 21. ff. de Hered. & act. vend.* nam post moram venditor non solum de perceptis, sed & percipiendis tenetur. arg. *l. 21. §. ult. h. t.*

§. 9. Fructus civiles duplicis generis sunt, vel enim singulis momentis percipi intelliguntur, ut mercedes locatarum ædium; vel certo anni tempore, ut merces ob vineam locatam. Prioris generis fructus pro rata temporis habito respectu ad contractum inter emtorem & venditorem dividendi sunt, arg. *l. 26. de Usufr.* Posterioris vero generis fructus debentur emtori, si ante illud tempus, quo percipiuntur, v. gr. ante vindemias venditio facta sit. arg. *l. 58. pr. ff. de Usufr.*

§. 10. Præter fructus tradendæ etiam emtori sunt accessiones, seu pertinentiæ. Tales autem voluntas & destinatio patrisfamilias in actum deducta, vel etiam Lex aut consuetudo facit, non sola cohærentia. *l. 245. de V. S.* Sic vendita domo, jus

pharmacopolium habendi, quod eidem cohæret, ad emtorem quidem pertinet, non vero species, ut loquuntur, quas venditor in ea domo habuit. Sic etiam vendito diversorio, debentur lecti perpetui usus gratia in eo existentes.

§. 11. Nihil autem interest, an pertinentia tempore contractus jam adfuerit, an vero demum postea ante traditionem accesserit. Thesaurus tamen a venditore, antequam fundus traderetur, in eo inventus, ipsi, non emtori cedit. Arg. §. *39. I. de Rer. divis. l. un. C. de Thesaur.*

§ 12. Non vero & illa emtori debentur, quæ tantum ornatus aut custodiæ gratia vel ob aliam causam temporalem in fundo vendito habentur. *l. 17. §. 7. h. t.*

§. 13. Quod ad instrumenta authentica attinet, quæ ad rem venditam pertinent, illa venditor retinere potest, quoties evictionem metuit, aut aliam justam causam habet, talique casu sufficit, eadem emtori ostendi. *l. 48. l. 52. h. t.* Ita responsum fuit ab Ord. Vit. ad consult. Justi Hugonis Faresii zu Planewitz, M. Nov. 1709.

§. 14. Effectus venditionis ac insecutæ traditionis est, quod emtor vel dominus ejus fiat, vel certe in usucapiendi conditione constituatur, *l. 30. §. ult.* indeque venditor evictionem emtori præstare tenetur.

§. 15. Præstatur a venditore levis culpa, cum utri-

utriusque utilitas in hoc negotio versetur; nisi forte emtor in mora accipiendi sit, tunc enim venditor nonnisi de dolo & culpa lata tenetur. *l. 5. l. 17. de Pericul. & commod. rei vend.*

§. 16. Vicissim venditori contra emtorem actio venditi competit ad pretium & omne id præstandum, quod ex contractu emtionis debetur; quæ actio & ipsa statim quidem, cum emtio venditio perfecta est, oritur. §. *1. de Emt. vend.* sed prius cum effectu instituì nequit, quam venditor traditione rei plenarie facta contractum ex sua parte impleverit, vel eum implere casu impeditus fuerit, v. gr. si res sine ejus culpa perierit.

§ 17. Solvendum est ab emtore pretium cum usuris. Ubi distinguendum, an fides de pretio habita, nec ne? illo casu usuræ debentur post interpellationem; arg. *l. 88. de R. J. l. 40. de Reb. cred.* Posteriori casu statim a tempore factæ traditionis usuræ debentur; tunc enim emtor in mora esse intelligitur.

§. 18. Denique actio venditi competit ad repetendos sumtus necessarios & utiles, quos verisimiliter emtor impensurus fuerat. *l. 13. h. t.*

Tit. II.

LOCATI CONDVCTI.

§. 1.

LOcatio conductio est contractus consensualis de usu pro certa mercede præstando *pr.*

& §. 1. I. de Locat. cond. l. 2. ff. h. t. Est hic contractus nominatus & bilateralis, eoque bonæ fidei.

§. 2. Locatio conductio duplex est: vel rerum, vel operarum: hæc iterum vel operarum in specie, vel operis, ubi uterque diverso respectu locator & conductor esse intelligitur. l. 22. §. 2. h. t.

§. 3. Locatio conductio fit solo consensu quacunque ratione declarato, sive tacito s. expresso; ab initio tamen regulariter nonnisi expresso consensu iniri solet, arg. §. 1. I. h. t. a qua regula excipiendus est casus, quo res solita est certa mercede locari; hac enim dum quis consentiente locatore utitur, censetur in eandem mercedem, quæ alias præstari consuevit, consensisse, cum utique donandi animus non præsumatur, sed ex circumstantiis de eo liquido constare debeat.

§. 4. Ex postfacto tacite contrahitur, si res conducta finita locatione non modico tempore, patiente locatore apud conductorem remaneat, l. 13. §. ult. h. t. & in prædiis quidem rusticis semper ad annum contractus tacite renovatus esse intelligitur; in urbanis autem distinguendum est, an prior contractus in scriptis celebratus sit, nec ne: priori casu ad idem tempus, quod in scriptura expressum, posteriori autem quatenus conductor habitavit, seu pro eo tempore, quo finita locatione prima, in re conducta perseveravit. cit. l. 13. §. ult. reconductio facta censetur.

§. 5.

§. 5. Locare & conducere possunt regulariter omnes. arg. *l. 43. §. 1. de Procurat.* Excipiuntur (1) Milites, *l. 31. C. h. t.* (2) Decuriones *l. 30. C. h. t.* (3) Clerici, quoad bona secularia. *Nov. 123. cap. 6.* (4) Tutores & Curatores, quoad prædia fiscalia & patrimonialia Principis, quamdiu rationes gestæ tutelæ vel curæ nondum reddiderunt; idque propter majorem pupillorum, minorumque securitatem constitutum est. *l. 49. pr. & §. 1. h. t. l. un. C. Ne tut. vel curat. vectig. conduc.* (5) Vietores, fabri, ac similes, qui cum strepitu artem exercent, ædes juxta literatorum musea conducere ipsis invitis prohibentur. arg. *l. un. C. de Stud. liberal. Carpz. P. 2. Const. 37. def. 23.*

§. 6. Si res duobus locata sit, ille potior est, cui prior tradita, prior tamen actionem ad Interesse retinet; idque arg. *l. 15. C. de Rei vindicat.*

§. 7. Locari potest etiam res aliena, salva actione conductori ad Interesse, si dominus rem vindicet. *l. 7. & seqq. h. t.* Non autem res conductoris propria, *l. 9. §. ult. ff. h. t. l. 45. ff. de R. J.* nisi quis prævio titulo ad dominium in alterum transferendum habili rem suam, v. gr. venditam, conducat; tunc enim desinit dominus esse, imo & possessionem amittit, ac nudam detentionem retinet. arg. *l. 77. de Rei vind.*

§. 8. Qui ex sua materia certam speciem alteri conficiendam recipit, non locationem condu-

ctionem, sed emtionem venditionem contrahit. § *5. I. h. t. l. 2. h. t.* Qualis etiam esse videtur, si quis convictu alicujus utatur. Add. *l. 20. & 65. de Contrah. emt. vendit.*

§. 9. Merces debet consistere (1) in pecunia numerata, alias locatio est irregularis, ut in colono partiario evenit; *pr. I. h. t. l. 25. §. 6. h. t.* (2) debet esse vera; (3) certa; (4) proportionata operis, vel usui rei, alias locum habet beneficium. *l. 2. C. de Resc. vend.*

§. 10. Finitur locatio (1) lapsu temporis, ad quod contracta est, *l. 13. §. ult. l. seq. h. t.* Conductor tamen vectigalium cogi potest, ut de novo conducat, si maximos fructus percepperit, ac deinceps vectigalia tanta mercede locari non possint, *l. 11. §. ult. de Public.* nec habet conductor Jus prælationis, si eandem, quam alius, mercedem præstare velit, *l. 32. C. h. t.* nisi sit conductor fundi publici. *l. 4. l. 5. C. de Locat. præd. civil.*

§. 11. Quocirca ante tempus elapsum regulariter nec locator invitum conductorem expellere, neque hic sine consensu locatoris a contractu resilire potest, *l. 3. l. 15. l. 21. C. h. t.* adeo, ut nec successor recedere possit a locatione, quam antecessor intuitu officii aut administrationis, quam habuit, contraxit, v. gr. uxor ratione bonorum paraphernalium *Carpz. Resp. 78. n. 8.* item Ecclesia, aut ejus Administrator ratione bonorum Ecclesiæ, quæ antecessor administravit.

§. 12.

§. 12. Ab hac regula excipiuntur quidam casus, & quidem vel ex parte locatoris, vel ex parte conductoris. Ubi tamen semper supponendum est, expulsionem fieri autoritate judicis, quamvis forte id expresse actum sit, ut etiam invitum privata autoritate expellere liceat, neq; enim tale pactum valet, quippe cui publica utilitas, ne tumultus in civitate existant, resistit; vid. *t. t. Ne quis in sua caus. jud.* atque adeo etiam hic pœna ex Edicto D. Marci locum habere potest. *l. 13. ff. Quod met. caus. l. 7. C. Und. vi.*

§. 13. Ex parte locatoris justa conductorem expellendi causa est (1) mora, in solutione mercedis admissa, scilicet per biennium, si ad plures annos facta sit locatio, vel etiam per duos anni quadrantes, si ad unum annum facta sit, pro mercede singulis quadrantibus solvenda. *l. 54. §. 1. l. 56. h. t. Cap. 3. in fin. X. h. t.* add. *l. 14. C. de Resc. vend.* (2) Superveniens post contractum propria locatoris indigentia, sive hæc ex facto proprio, v. gr. per matrimonium, sive ex casu fortuito, v. gr. domo, in qua habitavit, exusta, resultet, *l. 3. C. h. t.* cum *cit. Lex* non distinguat; nisi locator beneficio *l. 3. C.* in specie renunciaverit, aut mercedem futuram post supervenientem propriam indigentiam acceperit, aut plures rem communem locaverint, tum enim unius indigentia haud sufficit, arg. *l. 28. Comm. divid.* (3) necessitas reficiendi rem locatam post contractum

ctum superveniens: *l. 3. C. h. t.* (4) Abusus rei locatæ, sive physicus, sive moralis; *cit. l. 3.* (5) In locatione operarum durities dominorum causa est, ob quam famuli discedere queunt. arg. §. *ult. I. de His, qui sui vel al. jur. sunt.*

§. 14. Conductor ante elapsum tempus, conductioni definitum, rem conductam & ipse derelinquere potest, si justa causa adsit. Vid *l. 13.* §. *6. l. 27.* §. *2. h. t.*

§. 15. Morte locatoris vel conductoris locatio regulariter non finitur, quia ex contractibus etiam heredes obligantur. *l. 13. C. de Contrahend. & committ. stipul.* Secus est in successore singulari, qui, cum personam autoris non repræsentet, facta ejus præstare, & locatione ab eo contracta stare haud tenetur; *l. 9. C. h. t.* Talis est (1) Emtor; *cit. l. 9.* (2) Legatarius; (3) Usufructuarius; (4) Proprietarius, ad quem res usufructuaria finito usufructu rediit; (5) Fiscus, quando rem singularem publicat; (6) Successor feudi & majoratus; (7) Maritus in re locata, quam in dotem accepit; (8) Mulier in re dotali soluto matrimonio. vid. *l. 25.* §. *ult. Solut. matrim.* Fallit hæc regula (1) si res fiscalis emta sit; *l. ult. in fin. de Jur. fisc.* (2) si quis rem ea conditione, ut conductio ad finem usque durare debeat, emerit; *cit. l. 9. C. h. t.* (3) si emtor mercedem acceperit, aut pensiones sibi promitti consenserit; vid. *l. 59.* §. *1. ff. de Usufr.* (4) successor necessarius, in quem ex neces-

necessitate juris res transfertur. *l. 48. §. 1. de Reb. autor. jud. possid.* Unde liquet, eum, qui sub hasta rem emit, locationem a debitore contractam servare haud teneri, neque enim diversa eius ab alio emtore conditio est, & aliud nullibi in Jure cautum; quod enim in *cit. l. 48.* de necessario successore dispositum, ad hunc casum applicari nequit; cum illa Lex de misso a Prætore ex secundo decreto agat, qua ratione etiam facilius emtor in subhastationibus invenitur, qualis non facile futurus est, si locatione debitoris stare teneatur. In quam etiam sententiam Ordo Vitembergensis semel iterumque respondit.

§. 16. Ex contractu locationis conductionis oritur actio utrinque directa, conducti & locati, illa, scilicet conducti, datur conductori ejusque heredibus contra locatorem ejusque heredes, ad omne id, quod ex contractu debetur, præstandum *pr. I. h. t.*

§. 17. Si casus fortuitus circa fructus emergat, Jure Naturali quidem merces non remittitur, nec in totum, nec pro parte; cum hæc ex contractu debeatur. Remittenda vero est ex benignitate Juris Civilis, modo calamitas ac sterilitas proveniat (1) ex causa extrinseca; *l. 15. §. 2. h. t.* non vitio ipsius rei, aut qualitate intrinseca, *l. 13. ff. de Reb. eor. qui sub tutel. vel cur. sunt.* (2) inconsueta illius loci vel temporis; *cit. l. 15.* (3) contingat circa fructus nondum perceptos; percepti enim

enim domino suo pereunt, *l. 12. h. t.* statim a tempore separationis; §. *36. I. de Rer. divis. l. 26.* §. *1. de Furt.* (4) sine conductoris culpa; *l. 15.* §. *2. h. t. cap. 3. X. h. t.* (5) si damnum intolerabile sit, quod judicis arbitrio æstimandum est. *l. 25.* § *6. h. t.*

§. 18. Quodsi tamen locatio in plures annos contracta sit, sterilitas cum ubertate præcedentis aut subsequentis anni compensanda est *l. 8. C. h. t.* ita, ut ob speratam ubertatem remissio quidem non suspendatur, sed tamen resolvatur. *l. 15.* §. *4. h. t.*

§. 19. Datur actio conducti ad repetendas expensas necessarias ac utiles in ipsam rem factas, ac ultra tempus locationis duraturas, *l. 58.* §. *1. l. 61. pr.* item tributa & collectas repetendas; quamvis enim fiscus in his exigendis sequatur possessorem; *l. 7. de Public. & vectig.* onus tamen hoc in effectu locatori incumbit, qui soluta a conductore tributa eidem refundere tenetur, cum ipse non teneatur ultra mercedem promissam. Vid. *l. 2. C. de Annon. & tribut. l. 13. de Impens. in res dotal. fact.*

§. 20. Actio locati datur locatori adversus conductorem, ad præstandam mercedem, nec non rem finita locatione restituendam, ut & damnum lata vel levi culpa datum resarciendum. *l. 39. h. t. l. 2. C. eod.* add. *l. 5.* §. *2. Commod. vel contr.*

§. 21. Si conductor ad rem restituendam conventus, eam non amplius extare, dicat, hoc ab ipso

ipso probandum. Actor vero, qui contra hanc exceptionem contendit, culpa conductoris id factum esse, hanc replicam suam probare tenetur. arg. *l. 5. C. de Pign. action.*

Tit. III.

De ÆSTIMATORIA ACTIONE.

§. 1.

COntractus innominati sunt, qui certum nomen & specificam contrahendi formam non habent, nec actionem sui nominis pariunt. Habent tamen sicut omnes alii contractus causam, quæ hic in ipsa datione vel facto unius cum animo alterum sibi obligandi consistit *l. 5. pr. & §. seqq. de Præscript. verb. l. 7. §. 2. de Pact.*

§. 2. Contractus innominati similes sunt contractibus nominatis realibus, cum non prius perficiantur, & existere intelligantur, quam per actualem unius præstationem, quocirca si neuter adhuc aliquid præstiterit, non contractus innominatus, sed nudum pactum de contrahendo erit, ex quo Jure Romano nulla actio, hodie vero condictio ex moribus oritur. *l. 1. §. 2. ff. l. 3. C. de Rer. permut.*

§. 3. Dividuntur in regulares, qui sunt: Do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias, & ir-

& irregulares, qui propius ad nominatos accedunt, & aliquale nomen habent, non tamen speciale, & actionem sui nominis producunt, ut sunt contractus æstimatorius & permutatio.

§. 4. Ex omni contractu innominato una actio descendit, quæ præscriptis verbis dicitur, quod fundamentum ejus certo & specifico nomine exprimi non possit, sed res gesta præscriptis verbis designanda sit. *l. 1. 2. & 3. de Præscript. verb.*

§. 5. Jure Romano ei, qui dedit, tamdiu pœnitere licebat, donec alter a sua quoque parte contractum impleret. Censebatur enim id agere, ut per dationem non se alteri, sed alterum sibi obstringeret. Quæ pœnitendi facultas moribus hodiernis cessat, quod vel solo hoc argumento manifeste evinci potest, quod apud Romanos eidem locus non fuerit, si stipulatio intervenisset; atqui hodie omne pactum, quale in quovis contractu innominato subest, vim stipulationis habet.

§. 6. Hoc in titulo speciatim agitur de contractu æstimatorio, qui est contractus innominatus irregularis, quo res certo pretio æstimata alteri vendenda datur ea lege, ut eandem vel reddat, uel pretium solvat. *l. 1. pr. & §. 1.*

§. 7. Quamvis hic contractus, sicut innominati omnes civiliter talis sit, adeoq; secundū regulam stricti juris esse debeat, tamen per exceptionē factus

ctus est bonæ fidei, propter affinitatem cum emtione venditione. *l. 1. pr. in fin.*

§. 8. Ex hoc contractu subsecuta traditione dominium transfertur, arg. *pr. h. t. junct.* §. *14. I. de Act.* Periculum tamen regulariter penes dantem est, arg. *l. 23. de Verb. oblig.* nisi (1) accipiens dantem rogaverit; (2) expresse promiserit, se vel rem, vel pretium restiturum esse. *l. 17.* §. *1. de Præscr. verb.*

§. 9. Oritur ex hoc contractu actio præscriptis verbis æstimatoria, quæ competit danti & heredibus, contra accipientem & heredes, vel ad rem restituendam, vel ad pretium, quo æstimata est, solvendum. *l. 1.* §. *1. h. t.* Reus igitur electionem habet, *l. 10. in fin. de Jur. dot.* & excessum, quem ultra pretium conventum accipiens consecutus est, sibi retinet; *l. 1.* §. *1. h. t.* Quod in locatione operæ, ut & mandato secus est. arg. *l. 10.* §. *3. & 8. Mandat.*

Tit. IV.

De
RERVM PERMVTATIONE.

§. 1.

PErmutatio est contractus innominatus, irregularis, quo res ita datur, ut alter pro ea aliam vicissim det, *l. 1. pr. &* §. *2. ff. h. t.* §. *28. I. de Action.* Perficitur conventione & traditione

ne unius partis, *l. 4. & 5. C. h. t.* & transfert dominium ſtatim per traditionem ex cauſa permutationis factam, licet fides alteri non ſit habita; in quo ab emtione venditione differt. Vid. §. *41. I. de Rer. diviſ. L. 4. C. h. t.*

§. 2. Permutare poſſunt omnes, quibus alienandi facultas competit, & permutatio circa idem objectum cum venditione occupatur. *l. 1. §. 3. h. l. 28. de Contrab. emt.*

§. 3. In ejus, qui ex cauſa permutationis rem dedit, arbitrio eſt, utrum pœnitere, adeoque eandem condictionem cauſa data, cauſa non ſecuta, repetere, an vero actione præſcriptis verbis ad implementum experiri velit, *l. 1. in fin. l. 4. 5. C. h. t.* ſtipulatio tamen pœnitentiam excludit. *l. 3. l. 7. C. h. t.*

§. 4. Deſcendit ex hoc contractu actio præſcriptis verbis permutatoria ad rem viciſſim dandam. Liberatur tamen accipiens, ſi res, quam præſtare debebat, ſine culpa ſua perierit, arg. *l. 5. §. 2. Commod.* cum ſit debitor rei ſingularis, quem caſuali hujus interitu liberari conſtat; nec poterit dans rem ſuam tanquam cauſa non ſecuta condicere, *l. 5. §. 1. de Præſcr. verb. l. penult. C. de Cond. cauſ. dat.* Quodſi autem ex alio capite, ſcilicet pœnitentiæ, agat, repetitio ei Jure Romano deneganda non eſſe videtur. Vid. *l. ult. de Condict. cauſ. dat. cauſ. non ſec.*

Tit. V.

De PRÆSCRIPTIS VERBIS.

§. 1.

De contractibus innominatis irregularibus actum est, sequ[untur] nunc regulares, qui sunt, do ut des, do, ut facias, facio, ut des, facio, ut facias. Contractus do ut des est, quo res ita datur, ut illa ipsa vel sola, vel cum alia, vel in totum, vel pro parte restituatur; unde a permutatione differt; in hac enim semper id agitur, ut pro re mea alia mihi detur: altera differentia est, quod permutatio bonæ fidei sit, articulus do ut des autem stricti juris. Vid. §. 28. I. de Action.

§. 2. Articulus do ut facias, quando res ea Lege datur, ut accipiens vicissim aliquid faciat, l. 5. pr. l. 6. de Præscr. verb. si in mora sit accipiens, nec factum præstet, in locum obligationis facti succedit obligatio ad id, quod interest, præstandum, l. 44. §. ult. de Obl. & act. l. 13. in fin. de Re jud. & hæc novatio legalis dicitur.

§. 3. Contractus facio ut des est, quo aliquid ea Lege fit, ut ab altero aliquid detur. l. 5. pr. §. 3. de Præscr. verb. In hoc contractu pœnitentiæ locum non esse, manifestum est; cum factum infectum reddi nequeat, modo factum sit nudum; nam si ex eo aliquid ad alterum pervenerit, v. gr.

si Epitaphium exstructum sit, ut alter equum daret, pœnitentiæ locum esse, & v. gr. Epitaphium repeti posse, dubium non est. Vid. *l. 4. de Cond. caus. dat. caus. non secut.*

§. 4. Contractus facio ut facias est, quo ita aliquid fit, ut alter vicissim factum præstet. *l. 5. pr. & §. 4. de Præscript. verb.*

§. 5. Ex his quatuor articulis, sicut etiam ex innominatis irregularibus, oritur actio præscriptis verbis, quæ datur ad id, ut alter ex sua quoque parte contractum adimpleat; Cæterum actio hæc præscriptis verbis in jure latius interdum sumitur, ut non præcise contractum innominatum supponat, sed ex æquo & bono toties competat, quoties naturalis æquitas Lege Civili probata aliquid faciendum inculcat, nec tamen peculiarem actionem suggerit. Dicitur etiam tunc actio in factum, vel quod in effectu eodem recidit, imploratio officii Judicis. *B. Stryk. in Annot. ad Lauterb. h. t. verb. Irregularis.*

§. 6. Actio in factum sumitur (1) late pro omnibus actionibus, quæ certum nomen non habent, sed in factum concipiuntur; (2) stricte pro actione utili, quæ non ex verbis, sed interpretatione Legis oritur, eundem tamen cum actione directa effectum habet; *l. 47. §. 1. ff. de Negot. gest.* (3) strictissime pro actione, quæ in subsidium ex æquitate datur, cum & directa, & utilis actio deficit, *l. 11. h. t.* v. gr. si damnum datum sit,

fit, non tamen corpore, nec in corpus. Vid. §. *ult. I. ad L. Aquil.*

Lib. XX. Tit. I.

De

PIGNORIBVS ET HYPOTHECIS, ET QVALITER EA CONTRAHANTVR, ET DE PACTIS EORVM.

§. 1.

IN *Lib. 13.* actum est de pignore, quatenus est contractus realis, hic autem sumitur pignus pro specie juris in re, quod scilicet creditori in re debitoris ad securitatem crediti constitutum est. *l. 18. §. 2. de Pign. act.*

§. 2. Dividitur pignus (1) in publicum & privatum, illud est vel legale, quod a Lege constituitur; vel prætorium, quod jussu Prætoris constituitur. Legale rursus est vel purum, quod a sola Lege, sine facto hominis, proficiscitur; vel mixtum, quod præter dispositionem Legis factum hominis prærequirit. *l. 4. ff. de Pact.* Pignus prætorium est vel judiciale, quod in bonis debitoris, qui rei judicatæ non paret, per missionem in possessionem vel captionem pignorum

constituitur; *l. 2. 3. C. si in Caus. judic.* vel prætorium in specie, quod ante sententiam ob contumaciam debitoris per missionem in possessionem ex primo decreto factam constituitur, *l. 26. de Pign. act.* pignus privatum est vel testamentarium, vel conventionale.

§. 3. Dividitur (2) in generale, & speciale, illud omnes res afficit, *l. ult. Quæ res pign. obl. poss.* & in dubio constitutum esse censetur, licet mobilium & immobilium facta sit mentio; hæc enim jura & actiones non excludere, sed enixam potius voluntatem de omnibus bonis oppignorandis significare intelliguntur, *cit. l. ult. C.* quamvis consultius sit, vel prorsus expressionem illam omitti, vel nomina simul exprimi. *B. Stryk. ad Lauterb. h. t. Voce: mentio.* Pignus speciale est, quod in certis rebus constituitur, ubi tamen accessoria, nisi speciatim excepta sint, simul comprehenduntur. *l. 16. pr. h. t.*

§. 4. Constituitur pignus ab eo, qui liberum dominium rei habet, *l. ult. C. de Reb. alien. non alienand.* vel ultima voluntate, *l. 26. de Pignor. act.* vel per nudam conventionem, quippe quæ autoritate Prætoris subsistit, ac jus reale ob factam ab eo traditionem transfert, *l. 1. ff. eod. l. 17. §. 2. de Pact.*

§. 5. Vt scriptura pignoris Constitutioni accedat, necessarium haud est, *l. 4. h. t.* Quodsi tamen accesserit, & trium testium subscriptione munita

munita fuerit, jus prælationis tribuit. *l. 11. C. Qui pot. in pign.* Nihil etiam refert, utrum autoritas judicialis adhibita sit, nec ne. In Saxonia tamen hypotheca judicialis antefertur extrajudiciali.

§. 6. Intuitu pignoris duplex inprimis remedium creditori competit, unum possessorium, scilicet interdictum Salvianum, alterum petitorium, actio hypothecaria, quæ est actio realis, per quam creditor rem sibi oppignoratam adversus quemcunque possessorem persequitur; estque vel Serviana, quæ datur locatori prædii rustici; vel quasi Serviana, quæ reliquis creditoribus hypothecariis competit.

§. 7. Ratione formulæ petendi ex usu in foro recepto interest, utrum actio hypothecaria contra ipsum debitorem, qui pignus possidet, instituatur, an contra tertium. Priori casu alternative peti potest, ut reus aut solvat, aut hypothecam tradat. Posteriori casu autem simpliciter traditio hypothecæ tamdiu, donec creditori satisfactum, peti debet: Daß Beklagter Klägern das libellirte Unterpfand so lange, biß er des libellirten Capitals und Interessen halber daraus vergnüget, abzutreten, und einzuräumen schuldig.

§. 8. Tertius possessor, hac actione conventus, habet beneficium excussionis; & indistincte quidem, sive hypotheca generalis, sive specialis sit. *Nov. 4. cap. 2.* Limitatum tamen hoc per *Nov.*

112. cap. 1. in casu, quo emtor prædii illud oppignoratum esse scivit, nec tamen ut creditori ex pretio satisfieret, operam dedit, tunc enim beneficium excussionis amittit.

§. 9. Præscribitur actioni hypothecariæ contra debitorem possidentem 40. annis, *l. 7. §. 1. de Præscript. 30. vel 40. ann.* Quod ita ob duplicem obligationem, quæ in debitore concurrit, sancitum esse videtur. Obligatio enim, qua debitor est, 30. annos, altera, qua pignus possidet, 10. annos durat, & sublato licet per 30. annorum decursum debito civili, naturale tamen remanet ad eum effectum, ut hypotheca sustineri possit.

§. 10. Pignus, soluto licet debito, propter quod constitutum est, tamen ob aliud retineri potest, *l. un. C. Etiam ob chirograph. pecun.* &c. nisi aliud expressa conventione actum sit, de quo casu loquitur *l. 11. §. 3. de Pign. act.* Sicuti etiam hoc jus retentionis tantum in pignore conventionali locum habet, non etiam in legali seu tacito. Vid. *Mev. P. 2. def. 114.*

Tit. II.

IN QVIBVS CAVSIS PIGNVS VEL HYPOTHECA TACITE CONTRAHITVR.

§. 1.

PIgnus tacitum est, quod citra conventionem ab ipsa Lege constituitur, *l. 1. C. Comm. de Legat.* unde hujusmodi pignus expressam Legem requirit, ab eaque existentiam suam capit, indeque ad casus, in Legibus haud expressos, extendi non debet. *l. 6. in fin. C. de Bon. quæ lib.*

§. 2. Pignus tacitum seu legale competit (1) pupillis, & minoribus in bonis Tutorum & Curatorum ex eo tempore, quo administrationem vel susceperunt, vel suscipere debuerunt. *l. 20. C. de Administr. Tutor.* An etiam heredes eorum tacito hoc pignore gaudeant, dubitatur: sed verior est affirmativa, cum hoc jus tanquam reale merito in heredes transeat. Dissentit *Carpz. P. 2. Const. 24. def. 12. in fin. seqq.* cujus opinionem non juvat *l. 20. C. h. t.* & *l. un. C. de Rei ux. act.* quippe textus illi non de hypotheca, sed privilegio personali loquuntur. Hoc pignus tacitum extendi nequit ad Curatorem fœminæ ratione sexus, vel ad litem constitutum, quippe qui bona non administrat, neque ad curatorem bonorum oborto creditorum concursu, *l. 22. §. 1.*

de Reb. autor. jud. poss. cum hic Lex sileat, & hæc administratio privata sit, & non nisi a volente suscipiatur.

§. 3. Competit (2) pupillis in rebus, quæ pecunia eorum emtæ sunt, *l. 7. ff. Qui pot. in pign.* scilicet ab extraneo, nam si ipse Tutor pecunia pupillari rem emerit, pupillus consequitur dominium, eoque utilem rei vindicationem. *l. 2. Quand. ex fact. tut. vel cur.*

§. 4. Præterea (3) pignus tacitum pupilli habent in bonis vitrici, cui mater tutrix, antequam alium tutorem peteret, & rationes gestæ tutelæ reddidisset, nupsit. *l. 6. C. h. t.* Talis enim vitricus sibi imputare debet, quod viduam, ex gesta tutela liberis obligatam, in matrimonium duxerit.

§. 5. Competit (4) liberis ratione bonorum maternorum & materni generis in bonis patris a tempore, quo administrationem eorum suscipere debuit. *l. 6. §. ult. C. de Bon. quæ lib.* Hoc pignus tacitum a Dd. in praxi ex æquitate & propter paritatem rationis ad omnia bona adventitia extendi solet.

§. 6. Competit (5) fisco in bonis eorum, qui ob onus publicum, *l. 1. C. h. t.* vel administrationem, *l. 1. C. de Privileg. fisc.* vel contractum aliquid debent. *l. 28. ff. de Jur. fisc.* Hoc ultimo casu tamen nonnisi ad bona post contractum quæsita perti-

pertinet. In delictis fiscus aliis creditoribus concurrentibus omnibus, licet nudis chirographariis, postponitur; *l. 17. ff. de Jur. fisc.* Alias vero & extra concursum etiam multarum intuitu tacita hypotheca eidem competit. *l. 40. §. 3. ff. de Jur. fisc.* In foro Saxonico etiam in concursu fiscus ratione mulctæ a tempore condemnationis tacitam hypothecam habet.

§. 7. Porro (6) tacitam hypothecam habet uxor pro repetenda dote in bonis mariti, vel illius, qui dotem suscepit; *l. un. §. 1. C. de Rei uxor. act. §. 29. I. de Action.* Quod jus incipit statim a die contracti matrimonii, hodie tamen tempus copulæ sacerdotalis inspicitur. Add. *l. 1. ff. Qui pot. in pign.* Ad sponsam autem hæc hypotheca non pertinet, quæ ratione dotis forte prænumeratæ nonnisi personale privilegium habet, de quo accipienda *l. 74. de Jur. dot. l. 17. §. 1. de Reb. autor. jud. possid.* In augmento dotis hypotheca tacita demum ex tempore incrementi competit, *l. 19. C. de Donation. ant. nupt.* scilicet eo cum effectu, ut bona ante augmentum dotis alienata ejus intuitu nequaquam hypothecæ suppositæ esse intelligantur, quamvis in concursu creditorum augmentum dotis eodem prælationis privilegio cum ipsa dote gaudeat. *Nov. 97. cap. 2.* Similiter uxor in re, propter nuptias donata, tacitam hypothecam habet, *l. 29. C. de Jur. dot.* ut & ratione bonorum paraphernorum.

phernalium, scilicet a tempore actualis illationis, non vero intuitu receptitiorum.

§. 8. Pignus tacitum datum est (7) marito, ratione dotis, quam is, qui eam promisit, adhuc debet, in illius bonis. *l. un. §. 1. C. de Rei ux. act.* De casu dotis traditæ, sed postea evictæ, conferatur *Stryk. in Annot. ad Lauterb. h. t. voc. promisit.*

§. 9. Competit (8) legatariis & fideicommissariis intuitu rerum in testamento relictarum, in omnibus defuncti bonis, exceptis rebus, sibi vel aliis legatis, quia defuncto testatore statim legati relicti dominium consequuntur. *l. 1. C. Comm. de Legat.* Add. *l. 11. ff. Ut in poss. legat.*

§. 10. Competit pignus tacitum (9) illis, qui pecuniam in refectionem ædium crediderunt, si modo refectio actu secuta fuerit, *l. 1. ff. h. t. Nov. 97. cap. 3.* quod Dd. ad alias quoque res, ubi utilitas quædam publica subest, extendere solent.

§. 11. Competit (10) locatori prædii rustici in fructibus in eo natis. Unde prohibere potest, ne fructus vendantur aut exportentur prius, quam ipsi de pensione satisfactum sit. *l. 7. h. t.*

§. 12. Deniq; (11) pignus tacitum datum est locatori prædii urbani pro pensione & damno in rebus, quas inquilinus in prædium, animo illas perpetuo ibi habendi, intulit. *l. 7. §. 1. h. t. l. 32. de Pignorib.*

Tit. III.

QVÆ RES PIGNORI VEL HYPOTHECÆ DATÆ OBLIGARI NON POSSVNT.

§. 1.

PIgnoris constitutio regulariter locum habet in omnibus rebus, quæ sunt in bonis constituentis: *l. 4. ff. h. t. l. 6. C. h. t.* & alienari queunt, unde regula: Quæcunque res alienari nequit, illa etiam oppignorari nequit; ratio est, quia per oppignorationem pervenitur ad alienationem, si scilicet justo tempore creditori non satisfiat. *l. ult. C. de Reb. alien. non alienand.*

§. 2. Quocirca liquet, oppignorari non posse fundum dotalem, scilicet inæstimato, vel æstimato quidem, sed tantum taxationis causa in dotem datum, item res litigiosas & feudales, sine consensu domini directi & agnatorum; præterea ob publicam utilitatem arma, *l. 14. §. 1. de Re milit.* & rustica instrumenta ad agros colendos necessaria, *l. 7. C. h. t.* unde nec executio in ea aliter fieri potest, quam in subsidium, si nulla alia bona supersint.

Tit. IV.

QVI POTIORES IN PIGNORE VEL HYPOTHECA HABEANTVR, ET DE HIS, QVI IN PRIORVM CREDITORVM LOCVM SVCCEDVNT.

§. 1.

SI plures creditores concurrant, vulgo quinque Classes constitui solent. Collocantur enim (1) qui habent jus prælationis præ omnibus; (2) qui gaudent hypotheca cum privilegio prælationis; (3) simplices hypothecarii; (4) illi, qui habent privilegium personale; (5) nudi chirographarii.

§. 2. Inter creditores hypothecarios illi præferuntur, qui pignus publice constitutum habent; pro quali Jure Civili habetur etiam illud, quod in instrumento publico constitutum est. *l. 11. in fin. C. h. t.*

§. 3. Si ejusdem generis sit hypotheca, distinguendum, utrum eodem, an diverso tempore sit constituta. Attenditur enim hic prioritas temporis, & valet regula; Qui prior tempore, potior Jure, *l. 2. l. 7. C. h. t.* adeo, ut vel unicum temporis momentum respici debeat.

§. 4. Quodsi autem pignus eodem tempore pluribus constitutum sit, tunc videndum, uter possideat; hujus enim causa potior est; *l. 10. ff. de*

de pign. Sin autem neuter, sed tertius aliquis possideat, & creditores inter se concurrant, res hypothecæ supposita esse intelligitur utrique pro rata, *l. 16. §. 8. de Pignor.*

§. 5. Si pignus in re singulari constitutum sit, adjecto pignore generali, si forte res illa non sufficiat, ex æquitate pignus speciale vendendum est prius, quam reliqua bona generaliter oppignorata. *l. 2. h. t.*

Tit. V.

De
DISTRACTIONE PIGNORVM ET HYPOTHECARVM.

§. 1.

SI debitor pignus vendat, salvum manet creditori Jus pignoris, quippe quod ipsi rei inhæret, adeoque cum re ad quemvis possessorem transit; ipse tamen debitor, si pignus speciale vendat, in crimen Stellionatus incidit, cum hoc factum nulla peculiari lege notatum sit. *l. 3. §. 1. de Crim. stellion.*

§. 2. Circa creditorem pignus alienaturum triplex casus notandus est: (1) si pactum de alienando intervenerit; tunc enim creditor, si ipsi non satisfiat, debito tempore sine ulteriori denunciatione pignus alienare potest; (2) si pactum accesserit de non alienando, illud quidem impe-

impedire alienationem nequit, quippe quod contra subſtantiam pignoris foret, hunc tamen effectum habet, ut ſimplex denunciatio creditoris non ſufficiat, ſed trina requiratur, per arbitraria intervalla inſtituenda; *l. 4. ff. de Pign. act.* (3) ſi nullum hujusmodi pactum de alienando vel non alienando adjectum ſit, unica denunciatio ſufficit, *l. ult. C. de Jur. damni impetr.* & poſt eam biennium expectandum eſt. *cit. l. ult. §. 1.*

§. 3. Si pignus ab emtore evincatur, actio ad præſtandam evictionem ipſi non adverſus creditorem, *t. t. C. Cred. evict. pign.* ſed contra debitorem competit, ſcilicet actio utilis ex emto, *l. 12. §. 1. de Diſtract. pign. l. 13. C. de Eviction.* vel etiam emtor contra creditorem agere poteſt, ut ipſi actionem pignoratitiam contrariam adverſus debitorem cedat. *l. 13. h. t. l. 2. §. de Eviction.*

Tit. VI.

QVIBVS MODIS PIGNVS VEL HYPOTHECA SOLVITVR.

§. 1.

PIgnus ſolvitur (1) ſi debitum, intuitu cujus conſtitutum eſt, extinguatur, v. gr. per ſolutionem, item novationem, confuſionem, compenſationem, *l. 6. pr. h. t.* ita, ut ſolutio pignoris ipſo jure fieri intelligatur; (2) facta remiſſione debiti, ſive expreſſa, ſive tacita, v. gr. cautione, in qua debitum continetur, reddita, quo

casu per modum exceptionis pignus solvi dicitur; (3) remissione pignoris a creditore facta, etiam tacita, quæ fieri censetur, si creditor vel pignus simpliciter debitori reddat, *l. 3. ff. de Pact.* vel in ejus alienationem, *l. 7. & 8. §. 11. h. t.* aut ulteriorem oppignorationem, *l. 12. pr. h. t.* consentiat, (4) re ipsa, in qua pignus constitutum est, sublata; *l. 8. pr. h. t.* (5) extincto Jure ejus, qui pignus constituit, v. gr. vasalli aut emphyteutæ. *l. 31. ff. de Pignor.*

Lib. XXI. Tit. I.

De

ÆDILITIO EDICTO, ET REDHIBITIONE ET QVANTI MINORIS.

§. 1.

ÆDilitium Edictum duobus capitibus absolvitur. In primo agitur de indemnitate præstanda in emtione venditione; ubi Ædiles cavent, ut emtor de morbo vel vitio rei venditæ, scilicet corporis, nec non latente, & quod tempore venditionis jam adfuit, & usum rei venditæ impedit, certior reddi debeat. *l. 1. & seqq. h. t.*

§. 2. Datur exinde duplex actio, redhibitoria, & æstimatoria, seu quanti minoris. Illa est, qua emtores adversus venditores ad rem venditam

redhibendam experiuntur. Præscribitur huic actioni sex mensium spatio, a tempore contractus computando. *l. 2. C. l. 19. §. ult. h. t.*

§. 3. Actio æstimatoria, seu quanti minoris est, quæ datur emtori contra venditorem, ad id, ut, quanti propter vitium res minoris facta est, tantum de pretio restituatur. In arbitrio emtoris est, utrum hanc æstimatoriam, an vero redhibitoriam instituere malit, *l. 52. §. 1. de Except. rei judic.* Præscribitur huic actioni anno utili, *l. 19. §. ult. h. t.* a die scientiæ computando. *l. 2. C. h. t.*

§. 4. Altero Edicti Ædilitii capite cavetur, ne quis eo in loco, ubi vulgo iter fit, animal, quod nocere possit, v. gr. lupum aut canem habeat; alias, si contra factum sit, & liber homo perierit, dictitat pœnam 200. solidorum, sin solum illi damnum illatum, tantum præstari jubet, quantum æquum & bonum Judici videtur; in aliis vero rebus damnum datum dupli restitutione resarciendum est. *l. 40. §. 1. l. 41. 42. h. t.*

Tit. II.

De
EVICTIONIBVS, ET DVPLÆ STIPVLATIONIBVS.

§. 1.

EVictio proprie est rei, quam quis possidet, ad

ad alterius, qui melius in ea jus habet, petitionem, facta per judicem ablatio.

§. 2. Obligatio ad evictionem præstandam, h. e. ad damnum per eam datum resarciendum oritur vel ex peculiari stipulatione, vel ex natura negotiorum, scilicet bilateralium regulariter omnium, v. gr. in emtione venditione, locatione, transactione; item in donatione remuneratoria, non autem in donatione simplici. *l. 62. de Ædilit. Edict. l. 18. §. ult. de Donation.*

§. 3. Debet autem res esse evicta (1) actu; (2) per victoriam judicialem; (3) ex causa, quæ tempore contractus, quo res in possessorem translata est, jam adfuit; (4) propter jus potius, quod actor in ea re habuit.

§. 4. Ad præstandam evictionem datur actio ex stipulatu, vel ex ipso negotio, in quo præstanda est, descendens, v. gr. actio emti. *l. 56. pr. h.*

Tit. III.
De
EXCEPTIONE REI VENDITAE ET TRADITAE.

§. 1.

SI is, qui rem alteri titulo ad transferendum dominium habili tradidit, eam deinceps evincere velit, repellitur exceptione rei venditæ & traditæ; quem enim de evictione tenet actio,

illum agentem multo magis repellit exceptio. *l. 17. ff. de Eviction.*

Lib. XXII. Tit. I.

De

VSVRIS, ET FRVCTIBVS, ET CAVSIS, ET OMNIBVS ACCESSIONIBVS, ET MORA.

§. 1.

VSura nihil aliud est, quam pecunia, qua fructus seu usus quantitatis debitæ, quæ sors dicitur, æstimatur. *l. 32. C. h. t.*

§. 2. Cum usuræ semper præsupponant sortem, consequitur, eum, qui probat, sibi usuras solutas esse, ipsam sortem probasse intelligi, *l. 6. ff. h. t.* nisi is, qui solvit, alio, quam debitum agnoscendi animo, se solvisse, probare possit. *Mev. P. 2. Dec. 318. & 362.*

§. 3. Vsuras moderatas exigere omni jure licitum est; cum enim pro usu alterius rei, v. gr. domus aut equi, mercedem exigere permissum sit, quidni etiam pro usu pecuniæ liceat exigere usuras, quæ revera nihil aliud sunt, quam merces pro usu pecuniæ præstanda. Neque etiam repugnat Jus Divinum & Canonicum; utrumque enim vel de certis subjectis, vel de usuris immoderatis & mordentibus accipiendum est.

§. 4.

§. 4. Obligationis ad præstandas usuras tres fontes sunt: (1) promissio per stipulationem vel pactum; (2) mora, scilicet in bonæ fidei judiciis; *l. 32. §. 2. l. 34. h. t.* (3) singularis æquitatis ratio; sic emtor, cui res tradita, statim ad usuras tenetur, licet nondum sit in mora, cum iniquum sit, ut ipse & re, & pretio utatur; Daß er Geld und Gut zugleich nütze. *l. 5. C. de Action. emt. vend.*

§. 5. Inter usuras ex conventione & ex more debitas illud discriminis potissimum in effectu est, quod priores jure actionis debeantur, adeoque soluta sorte licet, peculiari actione ex stipulatu vel pacto peti possint, neque exceptio rei judicatæ obstet. Quod secus est, si usuræ debeantur ex mora, seu officio Judicis. Hæ enim in sententia, quæ vires rei judicatæ accepit, prætermissæ, nova actione, peti nequeunt, cum judex sententiam ferendo semel officio suo functus esse intelligatur, & alter sibi imputare debeat, quod per modum Appellationis, adversus eandem interpositæ, usuras quoque sibi adjudicari non petierit. Add. *Mev. P. 1. dec. 119.*

§. 6. Ratione quantitatis usuræ olim menstruæ erant, & singulis mensibus centesima pars sortis præstari debebat, *l. 26. §. 1. C. h. t.* postea hæc quantitas limitata est. *cit. l. 26. h. 1.* Hodie per *Rec. Imp. de Anno 1577. Tit.* Von wucherlichen Contracten, nonnisi quincunces to-

lerantur 5. pro cent. nisi forte aliud speciali Lege vel consuetudine alicubi introductum sit.

§. 7. Vsuræ ultra alterum tantum non currunt, sed quatenus sortem excedunt, eidem imputantur, aut solutæ repetuntur. *l. 26. §. 1. de Condict. indeb.* Exceptiones vide apud *Lauterb. h. t. p. 419.*

§. 8. Sic etiam ex usuris alias usuras petere prohibitum, idque Anatocismus vocatur, qui cessat, quamprimum persona debitoris mutatur. Vid. *l. 7. §. 12. l. 28. §. ult. de Administr. tut. vel cur.*

§. 9. Qui immoderatas usuras exigit, huic obstat exceptio usurariæ pravitatis, quæ etiam in processu executivo locum habet, adeo, ut licet in Saxonia Electorali intra tres hebdomadas opposita non sit, tamen adhuc in ipsa executione una cum exceptione solutionis & compensationis admittatur. *Dec. Elect. 2.* Præterea is incidit in pœnas usurariæ pravitatis, quæ sancitæ sunt in *Rec. Imp. de anno 1548. & 1577.* Von wucherlichen Contracten, scilicet fit infamis, amittit quartam partem sortis, & extra ordinem punitur, eidemque testamenti factio & Christiana sepultura denegatur.

§. 10. Vocabulum fructus sumitur vel late, pro omni utilitate, quam quis ex re, vel occasione ejus percipit; *l. 24. de Vs. & usufr. legat.* vel stricte pro commodo, quod ex ipso rei corpo-

pore percipitur, *l. 21. de V. S.* vel strictissime pro fructibus arborum, *l. 236. §. 1. de Verb. Signif.*

§. 11. Hoc loco sumitur late, eoque sensu fructus sunt vel naturales, qui ex ipso rei corpore, vel civiles, qui occasione rei percipiuntur, v. gr. mercedes, pensiones. Naturales rursus sunt vel in specie tales, qui sola natura operante, vel industriales, qui hominis industria proveniunt; utrique sunt vel pendentes, qui adhuc solo cohærent, vel percepti, qui a solo sunt separati, & hi iterum vel extantes, vel consumti.

§. 12. Causæ vocabulum complectitur omne emolumentum, quod circa rem est; sic in actione rei vindicatoria res cum omni causa, h. e. utilitate, quæ circa eam est, restituenda esse dicitur.

§. 13. Vox accessionis denotat interesse, h. e. utilitatem, quæ creditori propter rem abest. *l. 13. ff. Rem rat. hab.*

§. 14. Mora nihil aliud est, quam injusta dilatio rei præstandæ, *l. 21. h. t.* In hac constituitur quis regulariter per interpellationem, sive veram, sive quasi, seu ficte talem; quo sensu dies pro homine interpellare dicitur. *l. 12. C. de Contrab. & comitt. stipul.*

§. 15. Effectus moræ præcipui sunt, quod obligationem reddat perpetuam, *l. 91. §. 3. de Verb.*

oblig. transferat periculum in morosum debitorem, *l. 82. §. 1. eod.* & post eandem debeantur usuræ in bonæ fidei judiciis. *l. 34. 38. h. t.*

Tit. II.

De NAVTICO FOENORE.

§. 1.

FOenus nauticum est, quod præstatur ex pecunia trajectitia, seu trans mare vehenda; cui affine est fœnus quasi nauticum, quod redit ex pecunia, non quidem per mare trajicienda, sed per alia tamen periculosa loca transferenda.

§. 2. Circa fœnus nauticum duo singularia occurrunt; (1) quod etiam ex nudo pacto peti queant, *l. 5. §. 1. l. 7. h. t.* (2) quod infinitas usuras stipulari liceat, *l. 5. §. 1. C. de Usur. l. 5. h. t.* Quod etiam hodie pro gravitate periculi imminentis usu obtinebit; nullibi enim hæ usuræ ad centesimas restrictæ sunt, quod quidem vult *Lauterb. h. t. circ. fin.*

Tit. III.

De PROBATIONIBVS ET PRÆSVMTIONIBVS.

§. 1.

§. 1.

Probatio est actus judicialis, quo partes litigantes judici de facto controverso fidem faciunt. *l. 12. in fin. h. t.*

§. 2. Estque vel plena, cui nihil ad causæ decisionem deest, vel minus plena, quæ rursus est vel semiplena, v. gr. per unum testem omni exceptione majorem, vel semiplena major, vel semiplena minor; prioribus duobus casibus locus est regulariter juramento suppletorio, in posteriori tertio autem juramentum purgatorium injungitur.

§. 3. Probanda sunt ea, quæ factum concernunt, & ab adversario negata sunt, modo aliquid ad causæ decisionem faciant, nam quæ impertinentia sunt, a judice ex officio rejicienda veniunt. *l. 10. 21. 23. C. h. t.*

§. 4. Probatio includenda est articulis, qui succincti esse, nec nisi unum membrum complecti debent, itemque perspicui, & non captiosi.

§. 5. Probatio fit regulariter post litem contestatam, tunc enim constat, quid a reo negatum, adeoque ab actore probandum sit, *t. t. X. ut lite non contest.* nisi (1) de exceptionibus declinatoriis fori aliisque dilatoriis probandis agatur, *l. 13. C. de Procur.* (2) exceptiones peremtoriæ privilegiatæ, scilicet rei judicatæ, transactionis, & jurisjurandi ad impediendum litis ingressum opponantur. Hæ enim, quamvis al-

tioris indaginis sint, Jure communi ante litem contestatam admittuntur; *cap. 1 & 2. de Lit. contest. in 6.* Quod in Saxonia tamen secus est, utpote ubi inter memoratas exceptiones & alias peremtorias nihil discriminis intercedit, ac nullæ, nisi in continenti liquidæ, locum inveniunt.

§. 6. Facienda est probatio ante conclusionem causæ, & quartam productionem testium. *cap. 15. 36. X. de Test. Auth. Qui semel C. h. t.* Hodie vero non quatuor, ut olim, sed tribus tantum vicibus testes producere licet, *Rec. Imp. de Anno 1654.* §. 55. & quidem sub solennitate legali, quæ olim ad quartam productionem necessaria erat, & in eo consistit, quod producens jurare debeat, se in dolo haud versari, nec attestata didicisse. Vid. *Nov. 90. cap. 4.*

§ 7. In causis criminalibus & matrimonialibus, quæ illis æquiparantur, locum habet probatio etiam post sententiam, quippe quæ in his causis nunquam res judicata fit, *Gail. Lib. I. obs. 107.*

§. 8. Probatio Jure Civili nullum terminum legalem habet, sed is demum a Judice definiendus, *l. 1. C. de Dilation.* Definitus autem est peremtorius, h. e. eo neglecto, habetur pro deserta, *l. 1. C. de Dilation.* nisi impetrata sit dilatio; qualis Jure Civili in causis pecuniariis non nisi una conceditur, in capitalibus vero actori duæ, reo tres, *l. ult. C. de Fer.* In Saxonia terminus probato-

batorius est sex septimanarum & trium dierum. Dilationes ob justam causam duæ concedi possunt, tertia vero, quæ, computata legali, quarta est, non aliter, quam cum solennitate legali.

§. 9. Præsumtio est probatio, quæ fit per argumenta probabilia: estque vel juris, vel hominis. Præsumtio juris iterum est vel Juris, & de Jure, quæ contrariam probationem non admittit; sic post biennium præsumitur pecunia debitori, qui chirographum dedit, numerata esse; nam non auditur, si vel maxime ad contrariam se probationem offerat, *l. 14. C. de Non numerat. pec.* vel juris tantum, quæ tamdiu pro vera habetur, donec contrarium probatum fuerit. Talis præsumtio militat pro legitimis natalibus eorum, qui in matrimonio nati sunt, *l. 29. §. 1. h. t.*

§. 10. Præsumtio hominis est, quando a Judice ex argumentis probabilibus aliquid pro vero tamdiu habetur, donec contrarium probari possit. *l. 8. 9. 14. h. t.* Quæ argumenta ex circumstantiis facti desumi debent.

Tit. IV.

De
FIDE INSTRVMENTORVM ET AMISSIONE EORVM.

§. 1.

§. 1.

INstrumentum est tabula seu scriptura, quæ ad decisionem causæ controversæ facit. *l. 5. C. de Probation.* seu est scriptura, quæ ad fidem, de rebus gestis faciendam, facta est.

§. 2. Dividitur instrumentum in publicum & privatum. Illud est, quod publica autoritate confectum, vel saltem confirmatum est, *Cap. 2. X. h.* tale etiam est instrumentum Notarii. Instrumentis publicis annumerantur quoque ea, quæ actis publicis insinuata sunt, *l. ult. C. de Re jud.* imo effectum publici instrumenti privatum etiam habet, quando trium testium subscriptione munitum est, per *l. 11. in fin. C. Qui pot. in pign.*

§. 3. Instrumentum privatum est, quod non publica, sed privata autoritate conditum, nec a judice confirmatum, aut actis insinuatum est, v. gr. chirographum, epistola, liber rationum. Sub chirographo late dicto continetur Syngrapha, Apocha & Antapocha.

§. 4. Præterea instrumenta sunt vel originalia, quæ principaliter super negotio confecta sunt, vel transsumta, quæ ex illis desumta seu descripta sunt, & dicuntur nudæ copiæ, si descriptio sit a privato facta. Sin autem a Notario, vel autoritate Magistratus, transsumta originalia, item Vidimus, germ. Gerichtlich, oder von einem Notario vidimirte Copeyen.

§. 5.

§. 5. Sunt vero Notarii personæ publicæ, quæ de rebus gestis memoriæ & probationis causa instrumenta conficiunt. Notarii putativi instrumenta nullum effectum habent, nisi forte quis communiter ab omnibus pro Notario publice habeatur, tunc enim ejus instrumenta utilitatis publicæ causa sustineri debere videntur. Arg. *l. 3. ff. de Offic. Præt.*

§. 6. Requisita instrumenti publici a Notario conficiendi hæc sunt: (1) invocandum est Nomen Divinum, quod quidem Jure Civili non erat necessitatis, nam *Nov. 47. cap. 1.* enunciative, non dispositive intelligenda est, hodie tamen præcise adhibenda, quamvis non ita ad formam essentialem instrumenti eam requiri putem, ut ejus omissio statim instrumentum vitiare debeat; (2) Annus Christi addendus; (3) Indictio Romana; (4) Nomen Imperatoris; (5) Tempus & locus specialis rei gestæ; (6) Narratio causæ cum omnibus circumstantiis; (7) Nomina & cognomina testium; requiruntur autem regulariter ad validitatem instrumenti Notarii duo testes; arg. *l. 12. ff. de Test.* (8) Subscriptio & subsignatio Notarii, quæ fieri debet per sigillum Notariatus, non vero privatum, quo adhibito, regulariter juramento suppletorio opus est. Quod tamen in Saxonia non admittitur. *Dec. Elect. Novissim. 20.*

§. 7. Instrumenta privata citra solennitatem fiunt,

fiunt, rationes tamen diem & subscriptionem exigunt.

§. 8. Instrumenta publica regulariter plene probant; privata contra scribentem, non vero pro scribente probant. Rationes mercatorum tamen, die Handlungs-Bücher, semiplenam probationem faciunt, & juramento accedente, plenam.

§. 9. Productio documentorum fieri potest Jure Civili etiam elapso termino probatorio, usque ad causæ conclusionem. In foro Saxonico autem documenta non aliter admittuntur, quam si intra terminum probatorium inducta fuerint.

§. 10. Fidem Instrumenti tollit vel minuit cancellatio & rasio; modo in parte substantiali facta sit. *cap. 3. X. de Probation.*

Tit. V.

De TESTIBVS.

§. 1.

PRobatio fit etiam per testes; hi vero sunt vel habiles, qui ad testimonium dicendum admittuntur, vel inhabiles, qui a testimonio repelluntur; illi, scilicet habiles, sunt vel omni exceptione majores, quibus nihil objici potest, quod fidem eorum infringat, vel omni exceptione

ptione minores, quibus objici aliquid potest, quod fidem eorum imminuat.

§. 2. Testes ad testimonium dicendum citari debent, nam si sponte se ingerant, suspecti fiunt, arg. *l. 25. de Procurat.* Examinantur autem a Judice causæ vel ipso, vel per commissarium ac delegatum. Si testis alienæ jurisdictioni subsit, Magistratus ejus requirendus est, ut testem vel sistat, vel ipse examinet, & depositionem ejus Judici causæ transmittat, *Nov. 90. cap. 5.* In criminalibus Jure Civili testis necessario transmitti debet, *cit. Nov. in fin.* Hodie vero id urbanitatis, non necessitatis est.

§. 3. Pubertati proximus admittendus est ad testimonium, arg. *l. 3. & 5. h. t.* sed non omni exceptione major est, *cit. l. 3. §. 1. h. t.* neque enim impeditur natura, nec lege prohibetur, modo (1) ejusmodi res sit, quæ in intellectum ejus cadit; *l. 1. §. 1. C. de Falsi monet.* (2) sponte testari velit, *l. 29. §. 1. h. t.*

§. 4. Quoad infames distinguendum est Jure Canonico, utrum infamia juris laborent, an facti; illi repelluntur simpliciter, *cap. 54. X. h. t.* hi vero admittuntur, quamvis non sint omni exceptione majores. Jure Civili autem etiam illi, qui juris infamia laborant, non plane inhabiles sunt. *l. 1. §. 1. h. t.*

§. 5. Fœminæ habiles testes sunt regulariter, nec

nec minorem fidem, quam masculi merentur, sive causa civilis sit, sive criminalis, *l. 18. h. t. l. 20. §. 6. qui testam. fac. poss. cap. 33. X. h. t.* Excipiuntur (1) testamenta solennia, cum solennitatum fœminæ incapaces sint; §. *6. I. de Testam. ord.* (2) causæ feudales, cum in feudis succedere nequeant. *2. Feud. 32. in fin.*

§. 6. In causis universitatum distinguendum est, an eas, qua tales, concernant, an vero singulorum utilitatem respiciant. Priori casu membra universitatis testari queunt; Posteriori autem inhabiles sunt. Vid. *l. 2. & 7. ff. Quod cujusq. univers. nom. l. 10. §. 4. de In jus vocand. Cap. 6. & 12. X. h. t.*

§. 7. Advocatus pro Cliente in causa, ubi patrocinium præstitit, inhabilis testis est. Admittitur autem non solum, sed etiam compelli potest, ut contra Clientem testimonium dicat, *Carpz. l. 2. Resp. 92. n. 7.* Testes alias inhabiles admittuntur, quoties veritas aliter haberi non potest; quod ita accipiendum, si nempe per se & in thesi causa, de qua agitur, ita comparata sit, ut testes adhiberi non soleant.

Tit. VI.

De

JVRIS ET FACTI IGNORANTIA.

§. 1.

§. 1.

IGnorantia hic nihil aliud est, quam error; qui circa dispositionem LL. admissus, dicitur ignorantia Juris; commissus vero circa factum, ignorantia facti vocatur.

§. 2. Ignorantia Juris regulariter non excusat, nisi quis de damno vitando laboret. *l. 8. & 9. pr. ff. h. t.*

§. 3. Ignorantia facti, præsertim alieni, excusat; quia etiam in prudentissimum cadere potest. In factis propriis autem non excusat, nisi valde antiqua sint. Add. *B. Stryk. ad Lauterb. h. t. in fin.*

Lib. XXIII. Tit. I.

De
SPONSALIBVS.

§. 1.

CIrca materiam sponsaliorum observanda est computatio graduum juxta diversitatem linearum. Est vero linea vel recta, vel collateralis. Illa est vel ascendens, vel descendens; hæc vel æqualis, vel inæqualis.

§. 2. Jus Civile in computandis gradibus unica hac regula utitur: Quot sunt generationes, tot sunt gradus; Jus Canonicum vero in linea collaterali nonnisi unicum latus, idemque longius, computat.

§. 3. Affinitas inter maritum & uxoris consanguineos, nec non inter uxorem & mariti consanguineos contrahitur. *l. 2. §. 8. ff. de Grad.* Ejus tria sunt genera. In primo genere jungitur conjugis consanguineus; secundo genere is, qui matrimonium cum affini in primo genere contraxit; in tertio autem genere affinis est, qui affinem meum secundi generis in matrimonio habet.

§. 4. Gradus in affinitate proprie non dantur, §. 7. *I. de Nupt.* nisi ad exemplum cognationis; *l. 10. pr. ff. de Grad.* Quoto enim gradu quis uni conjugum in consanguinitate jungitur, eo gradu alteri conjugum in affinitate jungitur; qualecunque demum genus affinitatis sit.

§. 5. Sponsalia, quæ nuptias præcedere solent, sunt vel de præsenti, vel de futuro, *cap. pen. X. h. t.* illa puro & simplici, hæc vero conditionato & in futurum eventum suspenso consensu fiunt.

§. 6. Hæc sponsalia de præsenti vulgo cum nuptiis male confunduntur. Matrimonium enim consensu matrimoniali, sponsalia de præsenti autem consensu sponsalitio & ad futuras nuptias directo contrahuntur; & hæc nondum jus in corpus sponsæ tribuunt, ac facilius, quam matrimonium, dissolvuntur.

§. 7. Præterea sponsalia sunt vel publica, vel clan-

clandestina; illa consensu parentum, aut, si non amplius in vivis sint, coram duobus testibus ineuntur; quæ secus contracta, clandestina sunt, *cap. 3. X. de Cland. desponſ.*

§. 8. Sponsalia clandestina ipso Jure nulla sunt, *l. 5. C. h. t.* §. *penult. I. de Nupt.* adeo, ut neque per juramentum, neque per copulam carnalem, imo nec per sacerdotalem, secundum principia Juris convalescant. Hæc omnia enim, cum rei illicitæ accedant, eandem licitam reddere non possunt. Vid. *l. 11. ff. de Stat. hom.* In praxi tamen communiter invaluit principium: Quod sponsalia clandestina per accedentem copulam carnalem vim atque effectum publicorum accipiant, scilicet in favorem sponsæ, quæ matrimonii promissi intuitu ad concubitum inducta esse censetur. Quocirca patet, eandem praxin, præsertim a Jure communi recedentem, haudquaquam ad sponsum extendendam esse, sed posse illum etiam post copulam carnalem a sponsa recusari. Vid. *Struv. in Jurispr. Rom. Germ. tit. de Sponsal.* §. 4.

§. 9. Cum sponsalibus de præsenti coincidunt hodie ea, quæ pura dicuntur, & cum sponsalibus de futuro illa, quæ conditionata audiunt. Potest autem quævis conditio honesta, eademque possibilis, sponsalibus adjici. Impossibilis autem, si cum ipsa matrimonii substantia pugnet,

v. gr. si uxor se adulterandam præbeat, sponsalia vitiat. Reliquæ vero impossibiles pro non adjectis in favorem matrimonii regulariter habentur, *cap. ult. de Condition. appos. in desponſ.* nisi forte ex circumstantiis, rem serio actam haud esse, appareat; atque adeo prudentis Judicis arbitrio hic opus est.

§. 10. Requirunt sponsalia consensum, non solum ipsorum contrahentium, sed etiam parentum, in quorum scilicet potestate sunt, atque adeo Jure Civili matris consensus necessarius haud est. *l. 7. §. 1. b. t.* Moribus tamen hodiernis ob reverentiam, non minus matri, quam patri debitam, & hic exigitur.

§. 11. Debet vero consensus non solum verus esse, sed etiam omnino liber, alias sponsalia sunt ipso jure nulla. *L. 22. de Rit. nupt. L. 6. ff. Quod met. cauſ.*

§. 12. Qui plura sponsalia contrahit, infamiam ac pœnam incurrit. Præferuntur autem quoad Interesse privatum priora publica, licet ad posteriora copula carnalis, *L. 13. §. 3. ad L. Jul. de adult. Cap. 22. & 30. X. de Sponſal.* imo & sacerdotalis accesserit, ob eandem, quam supra circa clandestina sponsalia dedimus, rationem. Cui accedit, quod is, qui priori sponsæ fidem de matrimonio ineundo dedit, ad eandem alii personæ dandam plane inhabilis sit.

§. 13. Sponsalia dissolvuntur (1) morte; (2) Jure Civili unius renunciatione, seu pœnitentia; quod

quod hodie secus est. Vid. *l. 1. 2. & 5. C. h. t.* (3) Lapsu temporis; *Cap. 22. X. h. t.* hodie non aliter, quam instituto legitimo desertionis processu; (4) ob quasi adulterium seu concubitum sponsi sponsæve cum alia persona; (5) ob aliam gravem causam, arbitrio Judicis definiendam, ex qua inimicitia irreconciliabilis forte orta est. Ab his causis diversæ sunt illæ, propter quas sponsalia non dissolvuntur, sed pro nullis declarantur, qualis est impotentia, absentia virginitatis, &c.

Tit. II.

De RITV NVPTIARVM.

§. 1.

SPonsalia sequuntur nuptiæ, quæ sunt viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. §. *1. I. de Patr. potest. l. 1. ff. h. t.*

§. 2. Jure Civili matrimonium solo consensu perficitur; *l. 30. ff. de R. J.* Hodie autem benedictio sacerdotalis accedere debet, sine qua legitimum matrimonium non est.

§. 3. Contrahunt nuptias unus vir & una uxor, nam Polygamia est prohibita, non quidem Jure Naturali, cum nec confusionem sanguinis pariat, nec certitudinem Patris impediat, sed Jure Divino universali per necessariam con-

secutionem, quæ ex primæva institutione matrimonii, & *Matth. 19.* elicitur, nec non Jure Civili; *l. 2. C. de Incest. nupt.* Polyandria autem, qua una fœmina pluribus viris nubit, etiam rectæ rationi adversa est.

§. 4. Polygamia simultanea sine dubio licita est, cum prius vinculum penitus sit solutum, adeo, ut nec viduitatis promissio jurata valeat, *l. 1. & 2. C. de Indict. viduit. toll.* quamvis conjux legatum sub tali conditione relictum, eidemque sub cautione Mutiana præstandum perdat, si ad secunda vota transeat; *l. 76. §. ult. de Condition. & demonstrat.* Ab extraneo autem sub tali conditione relictum legatum simpliciter debetur, & conditio non adjecta censenda est. *l. 62. seqq. l. 79. §. ult. de Condit. & demonstrat.*

§. 5. Debet tamen vidua, antequam ad secundas nuptias transeat, annum expectare, alias omnia, quæ a priori marito accepit, amittit. *l. 1. & 2. de Secund. nupt.* Vidui autem Jure Civili non lugent; *l. 11. ff. de His, qui not. infam.* in Saxonia autem dimidium annum expectare tenentur.

§. 6. Quod ad prohibitiones nuptiarum propter consanguinitatem vel affinitatem attinet, observandum est, Jure Naturali matrimonium tantum in linea recta, Jure Divino universali nec non Civili præterea in linea collaterali duplices nuptias: (1) inter fratrem & sororem; (2) inter

(2) inter eas personas, inter quas parentalis respectus intercedit, in infinitum. Jure Saxonico usque ad gradum tertium lineæ collateralis inæqualis inclusive, & Jure Canonico usque ad gradum quartum lineæ collateralis æqualis inclusive prohiberi.

§. 7. Matrimonium nullum est propter metum justum, non vero reverentialem, *L. 22. ff. de Rit. nupt.* nec non propter errorem, scilicet substantialem, circa personam aut statum admissum. Solvitur autem vinculum matrimoniale semel legitime contractum inter vivos non nisi ob adulterium & malitiosam desertionem.

Tit. III.

De JURE DOTIUM.

§. 1.

DOs hoc loco denotat Jus, quod circa res pro ferendis matrimonii oneribus traditas marito competit. *L. 7. pr. h. t. L. 2. C. eod.*

§. 2. Dotem constituunt alii ex necessitate Juris, ut pater, qui filiam in potestate habet, *L. 19. de Rit. nupt.* Alii ex libera voluntate, ut frater, *L. 12. §. penult. L. 13. §. ult. de Administr. Tut. vel Cur.* item mater, nisi forte magna & probabilis causa adsit, v. gr. si alias filia sine dote honestam nubendi conditionem invenire nequeat, *L. 19. §. 1. C. de Heredit. petit. L. 14. C. h. t.*

§. 3. Dos proprie dicta constituitur demum per rei traditionem, *l. 13. §. 2. de Fund. dot. l. 15. Solut. matrim.* unde dos promissa proprie talis non est.

§. 4. Ex dote constituta ad eam repetendam datur actio ex stipulatu, licet stipulatio non intervenerit, eademque in favorem dotis bonæ fidei est. *l. un. pr. C. de Rei ux. act. junct. §. 29. I. de Action.*

§. 5. Effectus dotis est, quod maritus dominus ejus fiat, *pr. I. Quib. alien. lic. vel non.* & quidem revocabiliter, si res immobilis vel inæstimato, vel æstimato, sed taxationis gratia, in dotem data sit, *l. 5. C. de Fund. dot.* alias irrevocabiliter. *l. 42. h. t.*

§. 6. Res ex pecunia dotali emta regulariter non fit dotalis, *l. 12. C. h. t.* Exceptio est, si maritus bonis lapsus sit, nec ex ejusdem facultatibus satisfieri uxori ratione dotis queat, tunc enim in subsidium jure dominii hujusmodi rem pecunia dotali emtam uxor persequi potest, de quo intelligenda *l. 54. de Jur. dot.*

§. 7. A bonis dotalibus differunt paraphernalia, quæ marito præter dotem illata sunt, quorum administrationem maritus, sed non dominium habet; *l. 8. C. de Pact. convent.* & receptitia, Spiel-Gelder, Spar-Hafen, quæ marito tradita non sunt. Vid. *l. ult. C. eod.*

Tit. IV.

De PACTIS DOTALIBVS.

§. 1.

PActa dotalia ſunt, quæ intuitu dotis fiunt, & quidem vel per modum contractus, ubi nullis teſtibus opus eſt, niſi forte probationis gratia duobus, *l. 32. 42. §. ult. de Mort. cauſ. donat. l. 12. ff. de Teſt.* vel per modum ultimæ voluntatis, ubi quinque teſtium præſentia requiritur, *l. ult. §. ult. de Jur. dot. l. ult. C. de Mort. cauſ. donation.* Vtro autem modo pacta dotalia inita ſint, inprimis colligendum eſt ex verbis, quæ adhibita ſunt: ſic vox erben, ultimam voluntatem, contra verba: haben, behalten, contractum ſignificare ſolent.

§. 2. Ad pacta dotalia ineunda fœmina opus non habet curatore, ne quidem in Saxonia, cum fiant intuitu matrimonii, quod fœminæ ſine conſenſu curatorum valide contrahunt. Solet tamen ut plurimum in praxi & hic adhiberi curator, quod ad præſcindendam litibus occaſionem tutius eſt.

§. 3. Jure Civili pactum de ſucceſſione conjugum illicitum eſt. *l. 5. C. de Pact. Conv.* Hodie vero ad inſtar aliorum pactorum ſucceſſoriorum licitum eſt, & valde frequens.

§. 4. Pacta dotalia, per modum contractus

inita, non nisi utriusque partis consensu mutari queunt. arg. *l. 5. C. de Oblig. & act.* Illa vero, quæ per modum ultimæ voluntatis condita sunt, pro lubitu semper instar aliarum ultimarum voluntatum mutari possunt. arg. *l. 4. ff. de Adim. vel transfer. legat. l. 22. de Legat. 3.*

Tit. V.
De
FVNDO DOTALI.

§. 1.

QVamvis dominus regulariter rem ad se pertinentem pro lubitu alienet; *l. 21. C. Mand.* fallit tamen hoc in marito respectu fundi dotalis, hunc enim alienare, aut quodcunque aliud jus reale in eo alteri concedere nequit. *l. 1. h. t. l. ult. C. de Reb. al. non alienand.*

§. 2. De facto susceptа a marito alienatio ipso jure nulla est. *l. 42. de Usucap.* Quæ tamen convalescit, si ex postfacto maritus irrevocabile dominium fundi consequatur. *l. 17. de Fund. dot. l. 42. de Usucap.*

§. 3. In Saxonia hujusmodi alienatio valet, si uxor cum curatore in eandem consentiat. *Dec. Elect. 24.*

Lib.

Lib. XXIV. Tit. I.

De DONATIONIBVS INTER VIRVM ET VXOREM.

§. 1.

NE conjuges ex mutuo amore se bonis spolient, donationes inter eos prohibitæ sunt. *l. 1. & seqq. h. t.* Valet autem donatio inter sponsum & sponsam, *l. 5. pr. l. 27. h. t.* sed an ipso nuptiarum die donatio adhuc permissa sit, dubitari potest. Affirmat *Carpz. P. 2. Const. 13. def. 19.* negat *Struv. Exerc. 30. th. 24.* cum eoque *B. Stryk. ad Lauterb. h. t.* Ego distinguendum esse puto, utrum ante, an post copulam sacerdotalem hæc donatio fiat, cum enim post memoratam copulam verum matrimonium jam adsit, non amplius licita erit donatio, licet ipso nuptiarum die facta, excepto illo donationis genere, quod Morgengaba dici solet, & inter nobiles in primis frequens est, non quidem ut statim novæ uxori, altero post nuptias die aliquid detur, sed ut in pactis dotalibus certa pecuniæ summa uxori loco morgengabæ promittatur, post mortem mariti præstanda.

§. 2. Non autem prohibetur donatio (1) inter Principem & Augustam; *l. 2. l. 6. h. t.* (2) donationes, quæ die Nativitatis Christi inter conjuges fiunt; arg. *l. 42. h. t.* (3) donationes ob causam,

l. ult.

l. ult. C. de Donation. ant. nupt. v. gr. ad dignitates consequendas, *l. 40. seqq. h. t.* refectionem ædium exustarum. *l. 7. l. 14 h. t.* (4) non prohibentur alii contractus, modo non in fraudem fiant, & tacita donatio subsit, *l. 5. §. 1. h. t.* unde venditio geradæ Saxonicæ, ubi uxor geradam viliori pretio marito vendit, & postea pretium eidem donat, secundum principia Juris Civilis haud subsistit, quamvis consuetudine Saxonum sustineri soleat.

§. 3. Donatio contra prohibitionem Legis inter conjuges facta, ipso jure nulla est, *l. 2. §. 10. h. t.* Convalescit tamen (1) morte donantis, *cap. ult. X. h. t. l. 32. §. 6. h. t.* si ante mortem revocata haud sit, *cit. l. 32. §. 2. h. t.* quod per solam oppignorationem factum esse haud intelligitur, juxta *Nov. 161.* per quam derogatum est, *l. 32. §. 5. h. t. & l. 12. C. eod.* Confirmata autem sic per mortem donatio nonnisi usque ad 500. solidos valet, si nulla judicialis insinuatio facta sit, *l. 25. C. h. t.* nec a conjuge morituro in præsentia 5. testium repetita. Ex dictis sequitur, posse maritum, uxore mortua, si heres ejus esse nolit, & omnia illata restituere paratus sit, omnia, quæ ipsi ab eo donata sunt, repetere, nisi forte in pactis dotalibus aliter convenerit, quam uxori cautelam suggerit *B. Stryk. in Annot. ad Lauterb. ad Rubr. h. t.* Convalescit (2) juxta Jus Canonicum accedente juramento. *cap. 28. X. de Jurejur.* (3) In foro Saxonico valet donatio

tio ab uxore judicialiter cum consensu curatoris facta. *Carpz. P. 2. Const. 13. def. 16. Dec. Elect. 22.*

Tit. II.

De DIVORTIIS ET REPVDIIS.

§. 1.

DIvortium inter conjuges fit vel proprie, scilicet quoad ipsum vinculum; vel improprie, per separationem quoad thorum & mensam.

§. 2. Jure Civili divortia liberrime suscipi poterant, sive utriusque conjugis, sive unius etiam voluntate coram 7. testibus declarata. *l. 9. h. t. Nov. 22. cap. 4.* In veteri testamento itidem magna divortiorum licentia obtinuit. Vid. *Matth. V. vers. 32. Matth. XIX. v. 9.*

§. 3. In Novo Testamento, atque adeo hodie inter Christianos nonnisi duæ causæ ad divortium seu vinculum matrimoniale semel validum dissolvendum sufficiunt, scilicet adulterium, *cit. text.* & malitiosa desertio. *1. ad Corinth. VII.*

§. 4. Primam causam dixi adulterium esse, per quod copula carnalis cum alia persona præter conjugem suscepta innuitur. Unde opus haud est, ut adulterium præcise consummatum sit, cum per solum concubitum essentiale caput fœderis matrimonialis de cor-

corporis copia alteri non facienda violatum sit, ut hinc respectu Interesse privati, seu quatenus ad dissolvendum conjugium agitur, nihil intersit, utrum ad conjunctionem carnalem seminis immissio accesserit, nec ne. Plane si de pœna publica infligenda agatur, ejus rei rationem habendam esse, atque consummatum adulterium gravius puniri, constat.

§. 5. Altera causa divortii est malitiosa desertio, ubi, quamprimum prævio legitimo desertionis processu sententia fertur, matrimonium ita dissolvi intelligitur, ut ex neutra parte subsistat. Est enim vinculum matrimonii ita comparatum, ut non possit unum conjugem tantum ligare, cum maritus & uxor se invicem respiciant tanquam relatum & correlatum, nec maritus aliquis possit esse sine uxore, nec uxor sine marito.

§. 6. Secuto divortio parti innocenti aliud matrimonium permittitur, parti nocenti vero non simpliciter & semper, sed arbitrio Magistratus, si forte appareat, eum continere se non posse.

§. 7. A divortio differt separatio conjugum quoad thorum & mensam, quippe quæ fit salvo vinculo ob malos mores Conjugis, v. gr. sævitiam mariti, eaque separatio statim rursus tollitur, quando apparet, ad meliores mores conjugem rediisse; tali vero casu cum vinculum adhuc persistat, maritus uxorem alere tenetur, nisi for-

si forte illata, quæ ipsi alendæ sufficiunt, eidem restituere malit.

Tit. III.

SOLVTO MATRIMONIO, QVEMADMODVM DOS PETATVR.

§. 1.

DOs post solutum matrimonium repetitur ut plurimum actione ex stipulatu, sive vera stipulatio de ea restituenda interposita sit, sive non; fingitur enim interveniſſe. *l. un.* §. *1. C. de Rei ux. action.*

§. 2. Maritus, quando dotem restituit, gaudet beneficio competentiæ. *l. 12. h. t. cit. l. un.* §. *7.* nec non ex benigna concessione ejusdem liberi. *l. un. C. de Privil. dot.*

§. 3. Ad repetendam dotem regulariter constante matrimonio agi nequit. Exceptio est (1) si maritus ad inopiam sit redactus; *l. 29. & seqq. C. de Jur. dot.* (2) in casu, quo uxor ad alendum patrem opus habet dote. Vid. *Perez. ad tit. C. Si dos const. matrim.*

§. 4. Cessat repetitio dotis, (1) si convenerit v. gr. pactis dotalibus, ut maritus, mortua uxore, eandem lucrari debeat. *l. 12. de Pact. dotal.* (2) si vinculum matrimonii culpa uxoris solutum sit. *l. 8.* §. *5. C. de Repud.* Excipitur tamen casus, ubi quis vitiatam pro virgine ductam repudiat, aut

aut uxorem in adulterio deprehensam occidit. *l. 10. §. 1. h. t.*

Lib. XXV. Tit. I.

De

IMPENSIS IN RES DOTALES FACTIS.

§. 1.

MAritus impensas fructuum, nec non impensas rei, quæ modicæ sunt, ipse ferre tenetur; *l. 12. h. t.* Magnas vero, quæ necessariæ sunt, repetit, *l. 5 h. t. l. 1. §. 4. de Dot. præleg.* quarum intuitu maritus habet jus retentionis, aut, si dotem jam restituerit, absque earum deductione, condictionem indebiti. *l. 5. §. 2. h. t.*

§. 2. Propter impensas utiles Jure Codicis maritus non habet jus retentionis, *l. un. §. 5. C. de Rei ux. act.* sed ad eas repetendas actionem mandati, si cum consensu uxoris factæ, sin autem ea ignorante, actionem negotiorum gestorum; *cit. §. 5.* voluptuarias autem impensas tantum tollit, quatenus id sine detrimento rei fieri potest. *cit. §. 5.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819013587/phys_0252
DFG

Tit. II.

De ACTIONE RERVM AMOTARVM.

§. 1.

Ad res ab uxore amotas repetendas maritus habet actionem rerum amotarum, quam similiter uxor contra maritum habet: *l. 7. l. 14. h. t.* contra heredes vero hæc actio non aliter competit, quam quatenus aliquid ad eos pervenit. *l. 3. C. h. t.*

§. 2. Cum hac actione concurrit actio rei vindicatoria, ad exhibendum; & interdum hereditatis petitio. *l. 22. §. ult. h. t.*

Tit. III.

De AGNOSCENDIS ET ALENDIS LIBERIS.

§. 1.

Si quis partum pro suo agnoscere, eundemque alere recuset, convenitur actione præjudiciali ex statu familiæ descendente, quæ de partu agnoscendo dicitur. *l. 1. §. 1. h. t.*

§. 2. Vice versa parentes contra liberos, qui tales se esse negant, actione præjudiciali experiri queunt, quæ de filiatione dici solet.

§. 3. In utraque actione paternitas & filiatio

probanda ab eo, qui in illa se fundat, adeoque ab actore, nisi in quasi possessione ejus forte constitutus sit, hæc enim onus probandi in adversarium rejicit; arg. *l. 7. §. ult. de Liberal. causf. l. 83. de Condition. & demonstrat* quæ probatio etiam per delationem juramenti fieri potest, cum hæc nulla Lege in tali causa interdicta sit; juramentum tamen hoc aliquando de sola credulitate est.

§. 4. Liberos alere tenetur pater, *l. 5. §. 1. h. t.* non vero mater regulariter, adeo, ut alimenta liberis suppeditata actione negotiorum gestorum repetere queat, scilicet a marito; ab ipsis liberis enim eorumque heredibus alimenta repetere nequit, sed iisdem donasse censetur, *l. 11. C. de Neg. gest.* nisi contrariam voluntatem Suam vel protestatione expressa, vel rationes singulares conficiendo declaraverit, *l. 34. de Neg. gest.* Patre tamen defuncto, vel alias non sufficiente, ipsi matri onus alendi incumbit, *l. 5. §. 2. l. penult. h. t.* & si mater ipsa pauper aut mortua sit, ascendentes. *l. 8. h. t.*

§. 5. Alimentorum vox hoc loco tam late sumitur, ut non solum ea, quæ ad vitæ sustentationem pertinent, sed etiam sumtus studiorum comprehendant, qui alias & regulariter sub alimentorum appellatione non veniunt. Vid. *tit. ff. ad SCt. Maced.*

§. 6. Actio de partu agnoscendo utiliter ad maritum & uxorem etiam applicari solet. Vid. *l. 3. & 4. h. t.*

Tit. IV.

Tit. IV.

De VENTRE INSPICIENDO.

§. 1.

SI vidua se gravidam ex priori marito dicat, indeque missionem in ejus bona petat, inspectio ventris per honestas matronas fieri, & custodes, ne qua fraus ab ipsa committi, & alienus partus substitui queat, apponi solent, qua de re Edictum Prætoris habetur in *l. 1. §. 10. h. t.* aliudve rescriptum in *cit. l. 1. §. 1. h. t.*

Tit. VII.

De CONCVBINIS.

§. 1.

COncubinatus Jure Civili permissus est; *l. 3. §. 1. h. t. l. 5. C. ad SCtum Orphitian.* Dicitur autem concubina seu focaria, vid. *l. 2. C. de Don. int. vir. & uxor.* quæ loco uxoris habetur, & corpus miscet, revera tamen uxor non est. *l. 144. de V. S.* Licuit autem habere nonnisi unam, & talem quidem, quæ non antea patris aut filii concubina fuerat. *l. 1. in fin. h. t. L. 2. de In jus vocand.*

§. 2. Jure Canonico, nec non Divino, & hodierno concubinatus tanquam bonis moribus adversus non toleratur, sed prohibitus est, punitur que in Saxonia carceris pœna, in fornicationem aut stuprum definita.

Lib. XXVI. Tit. I.

De

TVTELIS.

§. 1.

IMpuberes, cum ætatis, atque adeo etiam judicii imbecillitate laborent, nullaque experientia & rerum gerendarum peritia instructi sint, suas res ipsi administrare, aut si sibi satis consulere haud possunt; quocirca opus habent aliorum auxilio, qui eos tueantur ac defendant, qui inde Tutores dicuntur, quasi Tuitores, indeque tutela describitur, quod sit vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem se ipsum defendere nequit, Jure Civili data ac permissa. §. *1. I. h. t.* Origo ejus ex Jure Naturali est, determinationes autem variæ ad Jus Civile referendæ sunt. §. *4. I. h. t.*

§. 2. Regulariter quivis potest esse tutor; aliqui tamen prohibentur, ut mulieres, servi, milites, in quorum numero etiam sunt creditores & debitores pupilli, qui jure *ff. & C.* quidem tutores esse poterant; *l. 8. C. Qui tut. dar. poss. l. 7. C. de Excusat.* Jure novo autem prohibentur, *Nov. 72. cap. 1. & seqq.* quamvis forte debitum modicum sit, sub jactura actionis vel exceptionis solutionis, quæ tempore administrationis facta est, *cit. Nov. cap. 4.* nec non sub pœna remotionis a tutela, tanquam suspecti sint,

cit.

cit. Nov. cap. 3. in fin. si modo creditum vel debitum dissimulando tutelam actu susceperint.

§. 3. Tutor constituitur principaliter personæ pupilli, *l. 12. l. 14. de Test. tutel.* minus principaliter & per consequentiam bonis ejus. §. *17. I. de Excusat. tut. vel curat. l. 12. 13. de Test. tutel.*

Tit. II.

De TESTAMENTARIA TVTELA.

§. 1.

TVtelæ tres species sunt, testamentaria, legitima, & dativa. Prima ratio regulariter habenda est testamentariæ, quæ Jure Civili est vel simplex & absoluta, quæ per se & citra confirmationem Magistratus subsistit, vel confirmata, quæ propter defectum aliquem confirmatione opus habet; quæ tamen distinctio hodie exiguum usum habere videtur, cum moribus hodiernis omnis tutor confirmari debeat. Hoc loco de priori specie agitur.

§. 3. Vt igitur Jure Romano tutela simpliciter & absolute citra confirmationem subsistat, requiritur (1) ut pater tutorem dederit, *l. 1. §. 1. de Confirm. tut.* unde excluditur mater: arg. §. *10. I. de Adoption.* (2) filio in potestate constituto; (3) in testamento, non aliis modis, e. gr. in epistola. *l. 1. §. 1. ff. l. 2. C. de Confirm. tut.*

§. 3. Tutor in testamento liberis datus, etiam nepotibus datus intelligitur; quod secus est, si filiorum tantum mentionem pater fecerit.

Tit. III.

De CONFIRMANDO TVTORE VEL CVRATORE.

§. 1.

SI unum ex memoratis requisitis deficiat, opus est Jure Romano confirmatione tutoris per Magistratum facienda. *t. h. t.*

§. 2. Confirmatio hæc fit vel simpliciter, si nempe pater vel alius ascendentium per virilem sexum non rite tutorem dederit, *l. 1. §. 2. h. t.* vel cum inquisitione, scilicet in vitam & facultates tutoris instituenda, *l. 1. §. 2. h. t.* si nempe mater aut extraneus constituerit. *cit. l. 1. §. 2.*

§. 3. Hujusmodi tutor confirmatus revera testamentarius manet, non vero dativus fit, quia esse suum & originem principaliter ex testamento habet, & confirmatio Magistratus ex necessitate fit; unde etiam talis tutor legitimis præfertur, qui tamen dativis potiores sunt.

Tit. IV.

De LEGITIMIS TVTORIBVS.

§. 1.

DEficiente Tutela teſtamentaria locus eſt legitimæ, quæ a ſola Lege immediate defertur, *l. 1. ff. h. t.*

§. 2. Olim ſoli agnati legitimi tutores erant; §. *1. I. h. t. l. 7. h. t.* Jure novo autem non minus cognatis, quam agnatis ob æqualem ſuccedendi ſpem hæc tutela defertur, *Nov. 118. cap. 5.* & quidem juxta proximitatem gradus. *Nov. 118. cap. 34.* In Saxonia autem adhuc hodie agnati cognatis præferuntur.

§. 3. Datur præterea ſpecies tutelæ legitimæ plane irregularis & extraordinaria, quæ contra rationem Juris, juxta quam fœminæ a tutela excluduntur, *l. 2. ff. de R. J.* add. *l. 1. C. Quand. mul. tutel. off. fung. poſſ.* defertur matri & aviæ ex ſingulari affectu, quo in liberos ferri cenſentur, ut volentes omnibus legitimis aliis tutoribus potiores habeantur, & liberorum tutelam ſuſcipere poſſint. *Nov. 118. cap. 5.*

§. 4. Non aliter vero memoratæ fœminæ ad liberorum tutelam admittuntur, quam ſi renuncient (1) ſecundis nuptiis, quod Jure Civili mediante juramento, *Nov. 94. cap. 2.* hodie autem

tem injurato fit; quodsi nihilosecius deinde ad secunda vota transeat ejusmodi tutrix, ob suspicionem malæ administrationis a tutela expellitur, *Nov. 94. cap. 2.* (2) SCto Vellejano, *Nov. 118. cap. 5.* aliisque beneficiis, in favorem muliebris sexus introductis, *Nov. 94. cap. 2.*

Tit. V.

De TVTORIBVS ET CVRATORIBVS DATIS AB HIS, QVI JVS DANDI HABENT, ET QVI, ET IN QVIBVS CAVSIS, SPECIALITER DARI POSSINT.

§. 1.

SI tutor testamentarius & legitimus deficiat, Magistratus in subsidium, ne pupilli maneant indefensi, tutorem constituit. *l. 10. h. t. l. 7. ff. Rem pup. salv. for.*

§. 2. Datur tutor a Magistratu competente, qualis olim censebatur ille, cui hæc facultas speciatim Lege concessa fuerat, *l. 6. §. 2. de Tutel.* hodie vero is, qui jurisdictionem ordinariam habet, licet inferiorem atque civilem tantum.

§. 3. Præterea ad competentiam requiritur, ut Magistratui pupillus subjectus sit, sive ratione domicilii, *l. 3. C. de Municip.* sive ratione bonorum,

rum, *l. un. in fin. C. Vb. pet. tut. vel cur.* prior tamen potior est. *cit. l. un.*

§. 4. Sed & tutor Magistratus constituentis jurisdictioni subesse debet. *l. 1. §. ult. h. t.* add. *l. ult. ff. de Jurisd.* Aliquando tamen contingit, ut idoneus in civitate non sit, quo casu alterius civitatis Magistratus implorari debet, ut aliquem ex civibus habilem tutorem constituat, quod fieri solet per literas subsidiales, quæ & mutui compassus dicuntur.

§. 5. Tutela munus publicum est, adeoque cuivis, etiam invito, si justam excusationis causam non habeat, injungi potest; ad quam suscipiendam pignorum captione, mulcta, aliisque modis quis cogitur.

Tit. VI.

QVI PETANT TVTORES ET CVRATORES, ET VBI PETANTVR.

§. 1.

REgulariter quisque pupillo tutorem nonnisi libera voluntate petit, ita, ut, si hoc omiserit, nullam propterea pœnam incurrat, & sumtus, eo intuitu factos, actione negotiorum gestorum repetere possit. *l. 2. C. de Neg. gest.*

§. 2. Aliquæ tamen personæ ex necessitate tutores petunt, ut mater, *l. 1. §. 2. h. t.* sub pœna amittendæ successionis legitimæ liberorum,

l. 2. §. 1. l. 10. C. de Legit. hered. Cui pœnæ ut locus sit, requiritur (1) ut mater tutorem intra annum post mortem mariti non petierit; (2) mater sit viginti annis major, alias enim restitutionem in integrum habet: *l. 2. C. si adverf. delict.* (3) testamentarii vel legitimi tutores non adsint; *l. 9. C. h. t.* (4) liberi intra pubertatem sint mortui. *l. 3. C. ad SCt. Tertull.*

§. 3. Eadem pœna locum habet in omnibus cognatis, qui spem succedendi habent, *l. 10. C. de Legit. hered.* nec non in libertis, Patronorum liberis, impuberibus tutores non petentibus, adeo, ut si ex malitia omiserint, a Magistratu extraordinarie coërceantur. *l. 2. h. t.* Quod si nemo impuberibus tutorem petierit, Magistratus ex officio constituere debet, alias ob negligentiam admissam actione subsidiaria tenetur.

Tit. VII.

De

ADMINISTRATIONE ET PERICVLO TVTORVM ET CVRATORVM.

§. 1.

VT tutor recte administret tutelam, requiritur (1) decretum Magistratus, quod productione

ctione tutorii probatur; (2) Inventarii confectio; *l. 7. pr. h. t.* (3) Juramentum, Jure scilicet Imperii, juxta *Ord. Imp. de anno 1548. Tit.* Von Pupillen, quod tamen in Saxonia non est in usu, sed ejus loco simplex promissio magistratui stipulata manu facta sufficit. (4) Satisdatio, a qua immunes sunt, qui immobilia possident, cum per hypothecam tacitam, pupillo in iis competentem, satis eidem prospectum esse intelligatur.

§. 2. Tutoris officium in eo versatur, ut inprimis personæ pupilli prospiciat, deinde bona ejus administret. Potest autem tutor omnia sine pupillo instar domini administrare. *l. 27. h. t.* Aliquando tamen pupilli præsentia necessaria est, scilicet (1) si procurator ante litem contestatam constituendus sit; *l. 1. ff. de Procur.* (2) si hereditas acquirenda. *l. 90. de Acquir. vel omitt. hered.*

§. 3. Si tutor pecuniam pupillarem otiosam relinquat, tenetur ad usuras, *l. 7. §. 3. l. 15. h. t.* modo pupillus probare possit, ipsum prædia venalia comparandi, vel alias idoneam occasionem fœnori pecuniam exponendi prætermisisse; hoc enim utrumque facti est, nec præsumitur. *l. 12. §. 3. l. 3. C. de Usur. pupill.*

§. 4. Si nocitum sit pupillo, resarciendum est a tutore damnum, si modo lata ejus vel levi culpa datum sit, *l. 7. C. Arbitr. tutel.* quamvis enim nullam utilitatem ex administratione sentiat;

tiat; in favorem pupilli tamen a regula recedi-tur, tutorque ad mediocrem diligentiam in abstracto spectatam tenetur, si in suis rebus negligentior sit, quam boni patresfamilias esse solent; sin vero diligentior fuerit, levis culpa in concreto intelligitur, eo scilicet cum effectu, ut eodem se modo, quo in rebus propriis versatur, in pupillaribus quoque negotiis diligentissimum se, & accuratissimum præbere debeat.

Tit. VIII.

De
AVTORITATE ET CONSENSV TVTORVM ET CVRATORVM.

§. 1.

VT negotium pupilli infantia majoris subsistat, autoritate tutoris opus est, §. *1. I. h. t.* & parem in modum negotia minorum, qui curatores habent, non aliter subsistunt, quam si horum consensus accedat.

§. 2. Si pupillus sine tutoris autoritate contraxerit, non quidem ipse, sed tamen alter, qui cum eo contractum iniit, obligatur, atque adeo contractus quasi claudicat; potest tamen contra pupillum agi, ut tutore autore declaret, velitne contractu stare, an ab eo recedere, ne alter in perpetua incertitudine hærere necessum habeat.

§. 3.

§. 3. Quodsi pupillus aut minor, qui cum tutore vel curatore contraxit, læsus sit, in ejus arbitrio est, velitne contra tutorem & curatorem ad damnum resarciendum experiri, an vero restitutionem in integrum contra adversarium petere. *l. 3. & t. t. Si tut. vel cur. interv.* Notissima exceptio est in præscriptione judiciali seu lapsu fatalium, ubi singulariter ad conservandum judiciorum vigorem integritatemque sancitum est, ut restitutio in integrum nonnisi in subsidium, atque adeo excusso demum tutore vel curatore indulgeri debeat, per *l. 13. §. ult. C. de Jud.* Quæ tamen lex fere contrario usu obruta esse videtur.

Tit. IX.

QVANDO EX FACTO TVTORIS ET CVRATORIS MINORES AGERE VEL CONVENIRI POSSVNT.

§. 1.

ACquiritur pupillo possessio ac dominium rei ipsius nomine per tutorem emtæ. *l. 1. C. Per quas pers. cuiq. acquir.* Sin tutor pecunia quidem pupillari, suo tamen nomine, rem emerit, tutoris quidem est, *l. 6. C. de Rei vindic.* comperit tamen pupillo electio, an eandem rem utiliter vindicare, *l. 2. C. Quand. ex fact. tut.* an pecuniam cum usuris centesimis a tutore repetere velit. *l. 3. C. Arbitr. tutel.*

§. 2.

§. 2. Si tutor nomine pupilli contraxerit, tunc ipsi & contra eum actiones ratione officii competunt, arg. *l. 19. de Reb. cred.* nec finita tutela regulariter amplius conveniri potest. Exceptio est (1) si in dolo fuit, *l. 43. §. 1. de Admin. & per tut.* (2) si tanquam fidejussor intervenerit, *l. 15. C. de Administr. & peric. tut.* (3) si proprio nomine de rebus licet pupilli contraxerit. arg. *l. 66. ff. de Procurat.*

§. 3. Pupillo & contra eum actiones directæ non dantur. *l. ult. C. Quand. ex fact. tut. l. 11. de Oblig. & act.* sed tantum utiles, præsertim finita tutela. *l. 4. C. h. t.*

Tit. X.

De SUSPECTIS TUTORIBUS ET CURATORIBUS.

§. 1.

SI tutor aut curator in rebus pupilli minorisve male versetur, tanquam suspectus arguitur ex vetustissima *L. XII. Tabb. l. 1. §. 2. h. t.* qua accusatione durante tutoris officium quiescit, & interim curator constituitur.

§. 2. Si condemnatus sit tutor, removetur a tutela; ubi tamen interest, an ob dolum, an vero ob latam tantum culpam condemnatus sit, priori casu remotio fit cum infamia, posteri-

ori

ori autem casu absque infamia. *l. 4. §. 2. h. t. §. 2. l. eod.*

Lib. XXVII. Tit. I.
De
EXCVSATIONIBVS.

§. 1.

CVm tutela munus publicum sit, quisque illud subire tenetur, nisi justam excusationem habeat.

§. 2. Est vero justa excusationis causa quoad tutelam & suscipiendam, & susceptam, (1) morbus sonticus; *l. 10. §. ult. l. 11. h. t.* (2) absentia Reipublicæ causa, quamdiu eadem durat; redux tamen vocationem a novis tutelis intra annum habet, *§. 2. I. h. t.* (3) lis de majori bonorum parte superveniens; *l. 10. h. t.* hodie tamen hujusmodi tutor ne quidem volens admittitur. *Nov. 72. cap. 1.* (4) dignitas Consiliarii Principis. *l. 30. pr. h. t.* (5) translatio domicilii. *l. 12. h. t.*

§. 3. A tutela delata, non etiam ab inchoata, excusat (1) numerus liberorum, olim Romæ trium, in Italia quatuor, in provinciis quinque. *pr. I. h. t.* Hodie quinquennarius numerus exigi solet: (2) tres tutelæ vel curæ non affectatæ, nec omnino leves; *l. un. C. Qui num. tutel. l. 15. §. 15. h. t.* (3) ætas septuaginta annis major;

jor; *l. 2. pr. h. t.* (4) professio liberarum artium; §. *15. l. h. t.* (5) officium publicum; *l. 41. h. t.* §. *3. l. eod.* (6) paupertas, modo talis sit, ut quis ipse rebus suis vix superesse possit; *l. 7. l. 40. h. t.* (7) inimicitia cum pupillo aut patre ejus; *l. 6.* §. *17. h. t.* (8) ignorantia literarum, cum rerum imperitia conjuncta; *l. 6.* §. *ult. h. t.* (9) si tutor alibi domicilium habeat. *l. ult.* §. *2. h. t.*

§. 4. Præterea qui tutelam gessit, non tenetur curatelam subire, si pupillus pubes fiat, etiam hodie. §. *18. I. h. t.* quamvis plerumque iidem Curatores fieri soleant, qui Tutores fuerunt.

§. 5. Si causa excusationis a Tutore allegata rejiciatur, periculum ejusdem a tempore delatæ tutelæ est. *l. 15. C. h. t.*

Tit. II.

VBI PVPILLVS EDVCARI VEL MORARI DEBEAT, ET DE ALIMENTIS PRÆSTANDIS.

§. 1.

EDucatio pupilli regulariter penes matrem ejus est; *l. 1. C. h. t.* nisi forte ad secunda vota transeat, arg. *l. 3. & 6. C. de Secund. nupt.* tunc enim, si cognati id urgeant, non apud matrem, sed alium a Prætore determinandum educatur. *l. 1. pr. h. t.*

§. 2. Ali-

§. 2. Alimenta a Tutore ita praestanda sunt, ut semper ex annuis reditibus, si fieri possit, quid superfit. *l. 3. §. 1. h. t.*

§. 3. Tutor de suo non tenetur alere pupillum, sed ad alimenta, quæ ipsi suppeditavit, repetenda, habet actionem tutelæ contrariam. *l. 2. in fin. C. de Aliment. pupill. præst.*

Tit. III.

De

TVTELÆ ET RATIONIBVS DISTRAHENDIS, ET VTILI CVRATIONIS CAVSA ACTIONE.

§. 1.

EX administratione tutelæ ceu quasi contractu oritur actio tutelæ, quæ est vel directa, vel contraria: de priori in hoc titulo agitur, & datur pupillo, contra tutorem, ejusdemque heredes, ad rationes reddendas, ac damna, dolo culpave illata, resarcienda.

§. 2. Instituenda est hæc actio in loco gestæ tutelæ, quia ibi in promtu magis probationes sunt, *l. 1. C. ub. de Ratioc.*

§. 3. Si tutor ex bonis pupilli aliquid abstulit, & in rationes non retulit, datur actio de rationibus distrahendis contra eundem ad duplum. *l. 1. §. 23. h. t.*

Tit. IV.

De

CONTRARIA TVTELÆ, ET VTILI ACTIONE.

§. 1.

ALtera actio tutelæ dicitur contraria, daturque tutori, contra pupillum, ad indemnitatem consequendam.

§. 2. Salarium hac actione peti nequit; *l. 33. in fin. de Administr. tutel.* sed tutela gratis gerenda est, nisi forte a Magistratu vel testatore aliud constitutum sit. *l. 33. in fin. h. t.*

Tit. V.

De

EO, QVI PRO TVTORE PROVE CVRATORE NEGOTIA GESSIT.

QVi tutelam tanquam tutor administrat, cum talis non sit, dicitur protutor, inter eumque & pupillum datur actio protutelæ directa & contraria, perinde, ac inter verum tutorem & pupillum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819013587/phys_0270
DFG

Tit. VI.

QVOD FALSO TVTORE AVTORE GESTVM ESSE DICATVR.

§. 1.

QVi a falso tutore læsi sunt ignorantes, aut in minori ætate adhuc constituti, habent restitutionem in integrum.

§. 2. Præterea competit actio quod falso tutore adversus eum, qui se pro tali gessit ad interesse; quæ actio cum ex dolo sit, contra heredes non datur, & beneficium divisionis, si plures fuerint, excludit.

Tit. VII.

De FIDEJVSSORIBVS ET NOMINATORIBVS, ET HEREDIBVS TVTORVM ET CVRATORVM.

§. 1.

FIdejussores tutorum, item nominatores, qui tutores idoneos falso affirmarunt, tenentur actione ex stipulatu, vel hodie, si nudum pactum intervenerit, condictione ex moribus.

§. 2. Plures fidejussores a pluribus tutoribus dati gaudent beneficio divisionis ex persona tutorum; *l. 6. & 7. h. t.* Sin vero ab uno tutore constituti sint, beneficium illud cessat. *l. ult. ff. Rem pup. salv. for.*

§. 3. Olim electio pupilli erat, utrum contra tutorem, an fidejussorem experiri mallet; *l. 1. C. h. t.* Jure novo autem fidejussor habet beneficium ordinis. *Nov. 4. c. 1.*

Tit. VIII.

De MAGISTRATIBVS CONVENIENDIS.

§. 1.

SI pupillus neque a tutore, neque a fidejussore, aut aliunde restitutionem damni accepti consequi possit, datur ipsi contra Magistratum propter dolum vel culpam in constituendo tutore admissam, actio subsidiaria. *l. 4. & 5. h. t.*

§. 2. Contra heredes Magistratus actio hæc nonnisi ob dolum & latam culpam competit, quod hic singulare est. *l. 4. & 6. ff. l. 2. C. h. t.*

Tit. IX.

De REBVS EORVM, QVI SVB TVTELA VEL CVRA SVNT, SINE DECRETO NON ALIENANDIS VEL SVPPONENDIS.

§. 1.

TUtor propria autoritate vendere potest & debet

debet mobilia pupilli, quæ ſervando ſervari non poſſunt, ne pupillus damnum incurrat. *l. 7. §. l. de Adminiſtr. tut. l. ult. §. ult. C. eod.*

§. 2. Res immobiles autem pupilli, nec non illa mobilia, quæ ſervando ſervari poſſunt, non aliter alienari queunt, quam ſi adſit (1) neceſſaria cauſa, utilis enim non ſufficit; *l. 5. §. 14. h. t.* (2) cauſæ illius cognitio, convocatis ſcilicet conſanguineis, inſpectoque inventario; *l. 6. l. 12. C. de Præd. min.* (3) decretum Judicis. *cit. text.*

§. 3. Deficiente aliquo horum requiſitorum, alienatio invalida & nulla eſt, quæ tamen convaleſcit, ſi major factus eandem ratihabuerit, ſive expreſſe, ſ. tacite, ſcilicet tacendo per quinquennium a tempore majorennitatis *l. ult. C. Si maj. fact.* ſi nempe titulo oneroſo res alienatæ ſint; nam ſi alienatio titulo lucrativo facta per decem vel viginti annos ſilentium requiritur. *l. ult. C. Si maj. fact.*

§. 4. Finitur tutela (1) pubertate, quæ in maſculis anno 14. in fœminis anno 12. completo incipit. *pr. I. Quib. mod. tutel. fin.* In criminalibus fœminæ eundem cum maſculis terminum pubertatis habent, annum ſcilicet 14. *Ord. Crim. Art. 165.* In cauſa alimentorum maſculi anno 18. fœminæ autem anno 14. completo puberes eſſe intelliguntur. *l. 14. de Alim. legat.*

§. 5. Quodſi tutor, finita tutela, etiam curatelam ſubire velit, ut regulariter fieri ſolet, non o-

pus habet novo decreto, cum utraque, & tutela & cura, ejusdem generis sit, scilicet intuitu ætatis constituta; unde secus est, si in Saxonia curator fœminæ ratione ætatis ejusdem curator ratione sexus fieri velit; cum enim hæc curatela diversi plane generis sit, novo decreto Magistratus opus est.

§. 6. Finitur (2) morte naturali & civili. *l. 63. §. ult. Pro soc. §. 4. I. Quib. mod. tutel. fin.*

§. 7. Finitur (3) per excusationem aut remotionem tutoris; (4) lapsu temporis a testatore definiti, §. 2. & 5. *l. eod.* nec non existentia conditionis; (5) minima capitis diminutione, v. gr. per arrogationem pupilli; (6) tutela materna matrimonio a matre contracto. *Nov. 97. cap. 2.*

Tit. X.

De CVRATORIBVS FVRIOSO, ET ALIIS EXTRA MINORES DANDIS.

§. 1.

Sicuti pupilli ob imbecillitatem ætatis tutores habent, ita minores, nec non furiosi, prodigi, & alii, qui propter defectum vel naturalem, vel accidentalem, rebus suis superesse non possunt, curatores accipiunt. *l. 8. C. de Nupt.*

§. 2. In testamento curator Jure Civili dari nequit, §. 1, *I. h. t.* datus tamen confirmatur a Ma-

Magistratu; *d. §. 1.* Hodie autem non minus curatores, quam tutores, in testamento recte constituuntur.

§. 3. Jure Civili maritus uxoris suæ curator esse nequit, *l. 2. C. Qui dar. tut. poss. vel non.* adeo, ut qui scienter se immiscet, infamis fiat, *l. 4. & 17. C. de Excusat. tut. vel cur.* Hodie vero prohibitio cessat, adeo, ut maritus, in Saxonia inprimis, ipso jure per ingressum thori conjugalis curator uxoris suæ fiat, germ. Ehelicher Vormund, seu Ehe-Voigt. Quæ curatela tamen non pertinet ad bona dotalia, quorum dominium maritus habet, neque ad paraphernalia, quorum legitimus administrator est, sed tantum ad bona receptitia. Add. *Ziegl. ad Ord. Proc. Sax. tit.* Von den Weibern und ihren Vormünden.

§. 4. Curator principaliter ad bona administranda datur, atque adeo desinit, quamprimum is, cujus curatelam gerit, ipse habilis fit ad bona sua administranda, quod fit per majorennitatem & remotionem defectus, intuitu cujus curator constitutus fuerat.

§. 5. Quod juris est in tutoribus, idem regulariter juris in curatoribus. Unde cum bona minoris immobilia alienanda sunt, eædem solennitates exiguntur, quæ concurrere debent in alienatione bonorum pupilli.

§. 6. Præterea sicuti pupillus sine tutoris au-

toritate valide non contrahit, ita curator in negotia minoris consensum præstare tenetur; alias minor non obligatur, quamvis conditionem suam meliorem sine tutore reddere possit. *l. 3. C. de In integr. restit.*

§. 7. Ex administrata curatela descendit actio tutelæ utilis, quæ vel directa, vel contraria est. Similiter datur actio hypothecaria, *l. 20. C. de Administr. tut.* nec non actio subsidiaria contra Magistratum. *l. 1. §. 6. ff. de Magistr. conven.*

Lib. XXVIII. Tit. I.

QVI TESTAMENTA FACERE POSSVNT, ET QVEMADMODVM TESTAMENTA FIANT.

§. 1.

TEstamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult. *l. 1. ff. h. t.*

§. 2. In testatore inprimis requiritur habilitas, quæ deficit (1) in furioso, *l. 44. de R. J.* nisi tempore dilucidorum intervallorum testetur, sicuti etiam sola imbecillitas judicii ac memoriæ testamenti factionem haud excludit. (2) In summe ebrio ac irato: *l. 48. de R. J.* (3) in impubere; *§. 1. I.*

Quib.

Quib. non est permiss. fac. testam. Minor autem etiam sine curatore testamentum valide condit. *l. 4. C. h. t.* (4) in surdo & muto natura tali, *l. 7. h. t.* (5) in cœco, qui nonnisi octavo teste adhibito testari potest; (6) in illis, qui jure civitatis destituti sunt, *l. 3. h. t.* v. gr. bannitis: (7) in filiofam. quamvis pater forte consentiat. De castrensi tamen & quasi castrensi peculio, quia in utroque iura patrisfam. habet, recte testatur. (8) in apostatis; *l. 3. C. de Apost.* (9) in usurariis manifestis; *cap. ult. de Vsur. in 6.* (10) in iis, qui propter carmen famosum damnati sunt, *l. 10. §. ult. h. t.* (11) in monachis. *Auth. Ingressi C. de Sacros. Eccles.*

§. 3. In omni testamento id observandum, ut heres instituatur; in hoc enim ejus forma substantialis consistit, eoque intuitu a Codicillo inprimis differt. §. 34. *I. de Legat. l. ult. de Jur. Codicill.*

§. 4. Olim apud Romanos tria testamenta in usu erant, in procinctu, calatis comitiis conditum, & per æs & libram; §. *1. I. h. t.* Jure novo autem testamentum est vel publicum, vel privatum; illud publica autoritate ac fide sustinetur, estque vel Principi oblatum, vel apud Acta conditum; in utroque nullis testibus est opus. *l. 19. in fin. C. de Testam.*

§. 5. Testamentum privatum, quod privata fide sustinetur, est vel scriptum, quod in scriptis

solenniter perficitur, §. 3. & 4. I. de Testam. vel nuncupativum, quod oretenus profertur; utrumque fieri debet (1) actu continuo; l. 21. §. ult. h. t. (2) coram septem testibus specialiter rogatis. §. 3. I. de Testam.

§. 6. In scripto præterea requiritur omnium testium subscriptio & subsignatio, l. 22. §. 4. & 5. h. t. nec non subscriptio testatoris, l. 21. C. h. t. olim etiam nomen heredis per testatorem vel octavum testem scribendum erat, l. 29. C. h. t. quod postea remissum per Nov. 119. cap. 9..

§. 7. Nuncupativum testamentum hodie plerumque melioris probationis gratia a Notario in instrumentum redigi solet. l. 26. C. h. t.

Tit. II.

De
LIBERIS ET POSTHVMIS HEREDIBVS INSTITVENDIS VEL EXHEREDANDIS.

§. 1.

HEredes regulariter ex libera testatoris voluntate instituuntur; aliquando tamen personæ necessario vel instituendæ sunt, vel exheredandæ: scilicet liberi, parentes, & certo casu fratres & sorores, quando nimirum turpis persona ipsis præfertur.

§. 2. Instituendi vero vel exheredandi sunt liberi

beri quicunque Jure novo, sive masculini, sive fœminini sexus, sive sui, sive emancipati, sive nati, sive posthumi. *Nov. 115. cap. 3.*

§. 3. In eo, qui scribi debet heres, requiritur habilitas, seu ut cum eo sit testamenti factio passiva tempore conditi testamenti, & hereditatis adeundæ, §. *4. I. de Hered. instit.* alias hereditas ad heredes ab intestato pervenit. *l. 3. de His, quæ pro non script. l. 1. C. de Hered. instit.*

§. 4. Cum nemo ex parte testatus, & ex parte intestatus decedere possit, sequitur, unum heredem in certa hereditatis parte, vel etiam re singulari institutum intelligi heredem ex asse seu universæ hereditatis. §. *4. I. de Hered. inst. l. 7. de R. J.*

§. 5. Hereditas in duodecim partes, quæ unciæ dicuntur, dividi solet; ubi si plures heredes instituti, & nonnullis adscriptæ partes, reliqui vero simpliciter, & sine partibus instituti, hi consequuntur id, quod ad assem deest, ex æquo inter se dividendum; sin autem partes reliquis adscriptæ assem vel æquant, vel superant, ad dupondium, & interdum ad tripondium recurritur. §. *6. & seqq. I. de Hered. instit. l. 13. 16. & 17. h. t.*

Tit. III. & IV.

De INJVSTO, RVPTO, IRRITO FACTO TESTAMENTO.

§. 1.

TEstamentum est vel ab initio nullum, vel validum: nullum est propter inhabilitatem testatoris, *l. 4. & 5. Qui testament. fac. poss.* aut omissam solennitatem, sive intrinsecam, scilicet heredis institutionem, *l. 30. de Lib. & posthum. l. 1. ff. h. t.* sive extrinsecam, v. gr. defectum testium.

§. 2. Testamentum hoc modo nullum impugnatur per querelam nullitatis, quae triginta annos durat, vel per modum exceptionis, si forte heres in testamento scriptus agat.

§. 3. Quodsi testamentum ab initio validum sit, fieri tamen potest, ut ex postfacto vel rumpatur, vel irritum fiat.

§. 4. Rumpitur testamentum duplici modo: (1) agnatione sui heredis, qui in testamento nec institutus, nec exheredatus est, quamvis Jure novo institutio ejus simpliciter exigi, nec exheredatio locum habere videatur, cum nulla earum causarum, propter quas exheredatio fieri potest, in ejusmodi posthumum cadere queat, ruptum tamen hoc modo testamentum ex post-

postfacto, non quidem Jure civili, sed tamen ex æquitate prætoria reconvalescit, si posthumus ante patrem testatorem decedat, *l. 12. pr. h. t.* tunc enim heredi in testamento scripto competit bonorum possessio secundum tabulas, eademque hodienum necessaria videtur.

§. 5. Rumpitur testamentum (2) mutatione voluntatis, scilicet alio testamento condito, quæ voluntatis mutatio semper fieri potest, *l. 4. ff. de Adim. & transfer. legat.* licet forte quis juraverit, se ab ea non recessurum esse, cum nemo sibi legem dicere possit, a qua recedere nequeat, *l. 22. de Legat. 3.* unde etiam in testamentis conjugum reciprocis alter altero jam mortuo voluntatem adhuc suam mutare potest. *cit. l. 4.* Add. *l. 1. C. de Sacrof. Eccles.*

§. 6. Irritum fit testamentum, si v. gr. testator status mutationem patiatur, §. *4. I. h. t.* aut heres scriptus hereditatem non adeat, quale testamentum in specie destitutum dicitur. *l. 9. §. 2. de Lib. & posthum. hered. instit.*

Tit. V.

De
HEREDIBVS INSTITVENDIS.

ACtum de hoc ad Tit. 2. hujus Libri.

Tit. V.

De VULGARI ET PVPILLARI SVBSTITVTIONE.

§. 1.

SVbstitutio est secunda heredis institutio, in locum deficientis primi facta, *l. 49. §. 2. l. 43. h. t.* Dividitur in fideicommissariam, de qua vide *Lib. 36. Tit. 1.* & directam, quæ proprie talis est.

§. 2. Præterea substitutio est vel vulgaris, vel pupillaris: illa dicitur, quæ cuivis heredi a quocunque testatore eum in casum fit, si primus heres non erit. Pupillaris autem substitutio est, quæ fit a parentibus liberis impuberibus, qui in eorum potestate constituti sunt in eum casum, si heredes erunt, & in ætate pupillari decedent. Utraque substitutio est vel expressa, vel tacita, una enim sub altera tacite contineri intelligitur. *l. 4. pr. §. 2. h. t. l. 4. C. de Impub. & al. substit.*

§. 3. Pater per substitutionem pupillarem matri quoad legitimam præjudicare potest, cum testamentum hoc inofficiosum dici haud possit; quippe quod non a filio, sed patre conditum est, *l. 8. §. 5. ff. l. 9. C. de Inoffic. testam.* sive substitutio pupillaris tacita, sive expressa sit, *l. 23. de Legib. l. 2. h. t.* Praxis tamen in casu tacitæ substitutionis aliud observat, & in Saxonia matri simpliciter præjudicari nequit, ne quidem per expressam pupillarem substitutionem.

§. 4.

§. 4. Ad exemplum pupillaris substitutionis datur quasi pupillaris, quæ & exemplaris audit, fitque a parentibus quibuscunque liberis in ejusmodi statu, in quo testari nequeunt, constitutis, in eum casum, si heredes erunt, & in tali statu decedent. *l. 9. C. h. t. §. 1. I. eod.*

§. 5. Denique datur substitutio militaris, quæ fit a milite, liberis etiam puberibus, in casum, quo utcunque defecerit heres; vocatur etiam privilegiata seu compendiosa, quia omnes reliquas substitutiones continet. *l. 15. h. t. l. 6. C. de Test. milit.*

Tit. VII.

De CONDITIONIBVS INSTITVTIONVM.

§. 1.

IN arbitrio testatoris est, heredem pure, an sub conditione instituere velit, & casualis quidem conditio semper, potestativa autem demum post mortem testatoris impleri debet. *l. 2. 10. & 12. h. t.*

§. 2. Conditio impossibilis, sive natura, sive jure talis, ultimis voluntatibus adjecta, detrahitur, & pro non adjecta habetur, *l. 1. C. l. 14. & 15. h. t.* quod secus est in actibus inter vivos, qui per hujusmodi conditionem impossibilem regulariter vitiantur.

Tit. VIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819013587/phys_0283
DFG

Tit. VIII.

De JVRE DELIBERANDI.

§. 1.

NE heres damnum facile incurrat, data ipsi est facultas deliberandi, ut intra certum spatium in vires hereditatis inquirere, & secum statuere possit, utrum hereditatem adire proficuum ipsi sit, nec ne.

§. 2. Spatium hoc olim arbitrarium erat, *l. 1. §. 1. h. t.* Hodie vero est annuum, *l. 19. §. 3. C. h. t.* ubi tamen supponitur, heredem a creditoribus urgeri, ut voluntatem suam de adeunda hereditate declaret; nam si nemo urgeat, perpetuo, atque adeo ad 30. annorum spatium, quo hereditatis petitio durat, deliberare potest. *l. ult. §. 14. h. t.*

§. 3. Præterea aliud beneficium heredi concessum est, quod dicitur beneficium Inventarii, quo mediante si hereditatem adeat, ultra vires hereditatis non obligatur, *l. ult. §. 13. C. h. t.* unde exceptio Inventarii oritur, *l. ult. §. 4. C. h. t.* Sin autem Inventarium non feceris, in solidum etiam hodie obligatur. *l. ult. §. 14. C. h. t.*

Lib.

Lib. XXIX. Tit. I.

De

TESTAMENTO MILITIS.

§. 1.

Milles in expeditione constitutus ultimam voluntatem suam sine omni solennitate condere potest, *l. 1. h. t.* in hybernis autem aut præsidio constitutus Jure Communi testatur omnibus solennibus adhibitis, nisi forte hostium incursiones periculo eundem exponant.

§. 2. Testamentum hoc valet ut solenne, etiam post missionem intra annum. *l. 21. l. 23. pr. h. t.*

§. 3. Inter testamenta privilegiata est etiam paternum, quod a parentibus inter liberos conditum sine ullis testibus aliisque solennibus valet, modo liberi heredes instituti sint. *l. ult. C. Famil. herciſc. l. 30. de Lib. & posthum. hered. inſtit.*

§. 4. Si in hoc testamento aliquid extraneo, v. gr. uxori, item parentibus legatum sit, non valet, nisi testes adhibiti sint, & quidem quinque ad minimum, arg. *l. ult. C. de Codicill.* quamvis vulgo duos testes sufficere existiment. Vid. *Carpz. P. 3. Const. 4. def. 19. & seqq.*

§. 5. Testamentum tempore pestis conditum itidem privilegiatum est. *l. 8. C. de Testam.* Remissa enim in eo Jure Civili est conjunctio testi-

um, hodie etiam numerus, adeo, ut duorum præsentia sufficiat. *Gail. lib. 2. Obs. 118.*

§. 6. Pertinet huc etiam testamentum rusticum, ubi propter simplicitatem rusticorum ac testium raritatem quinque testes sufficiunt. *l. ult. C. de Test. milit.*

§. 7. Denique minus solenne testamentum est, quod ad pias causas conditur, ubi etiam duo testes, & quidem probationis gratia adhibiti, sufficiunt. *cap. 11. X. de Test.*

Tit. II.

De
ACQVIRENDA ET OMITTENDA HEREDITATE.

§. 1.

DEferri dicitur hereditas, quando jus conceditur oblatam hereditatem acquirendi. *l. 151. de V. S.*

§. 2. Acquisitio hereditatis diversis modis fit, pro diversa conditione heredum: sunt vero heredes vel necessarii, vel sui & necessarii, vel voluntarii.

§. 3. Necessarius heres olim erat servus, qui hereditatem repudiare non poterat. *l. 25. §. 5. h. t.* Qualis hodie, sublata servitute, non amplius datur.

§. 4.

§. 4. Sui & necessarii heredes erant liberi tempore mortis testatoris proxime in ejus potestate constituti. Hi enim olim etiam inviti heredes existebant, §. 3. I. *de Heredit. quæ ab intest. defer. l. 14. de Suis & legit. hered.* postea vero Prætor beneficium abstinendi illis dedit, ut in eorum arbitrio sit, utrum hereditati se immiscere, an ab ea abstinere velint, §. 2. I. *de Hered. qual.* Unde quidem statim, ac pater moritur, heredes sunt in actu primo, in actu secundo autem & quoad effectum non aliter, quam si hereditati se immiscuerint, quod facti est, adeoque a creditore probandum. *arg. l. 57. h. t.*

§. 5. Reliqui heredes omnes, qui sub tempus mortis testatoris nec in dominica, nec patria potestate ejus fuerunt, dicuntur voluntarii, iidemque adeunt vel repudiant hereditatem.

§. 6. Effectus aditæ hereditatis est, quod heres eadem cum defuncto persona a tempore mortis esse censeatur, *l. 193. de R. J.* omniaque Jura, quæ defunctus habuit, & morte extincta non sunt, acquirat. *l. 37. h. t.* Possessionem autem rerum hereditariarum non ipso jure, sed demum per apprehensionem acquirit, *l. 23. de Acquir. vel amitt. possess.* Facti enim est, adeoque actum corporalem requirit; nisi quod aliquibus in locis aliud speciatim introductum sit, usuque obtineat.

Tit. III.

TESTAMENTA QVEMADMODVM APERIANTVR, INSPICIANTVR ET DESCRIBANTVR.

§. 1.

APertura testamenti fit vel solius notitiæ causa, adeoque simpliciter & sine omni solennitate, coram viris honestis, qui tabulas inspectas iterum de novo signant, *l. 2. C. h. l. 7. eod. Carpz. P. 3. Const. 5. def. 24. seq.* vel fit solenniter, citatis omnibus, quorum interest, coram judice competente. *Carpz. l. c.*

§. 2. A testamenti apertura differt ejus publicatio seu relatio ad archivum, *l. 18. C. de Testam.* quæ in testamento privata fide facto necessaria videtur; quod secus est in testamento coram Judice vel Notario condito, quippe quod per instrumentum publicum satis probatur.

Tit. IV.

SI QVIS OMISSA CAVSA TESTAMENTI AB INTESTATO, VEL ALIO MODO POSSIDEAT HEREDITATEM.

SI quis in testamento scriptus sit heres, & in fraudem legatariorum ab intestato succedere velit, Prætor dat utiles actiones legatariis & fideicommissariis contra heredem scriptum vel

eos

eos etiam, qui pecuniam dederunt scripto, ut abstineret. *l. 1. §. ult. l. 2. & 4. pr. h. t.*

Tit. V.

DE SENATVSCONSVLTO SILANIANO ET CLAVDIANO, QVORVM TESTAMENTA NON APERIANTVR.

SEnatus-Consulto Silaniano cautum est, ne testamentum aperiatur, & hereditas adeatur, antequam de familia testatoris vi occisi quæsitum, & de noxiis supplicium sumtum sit, *l. 1. pr. l. 3. §. 17. h. t.* Alias si dolo contra factum sit, amittitur relictum in testamento, & fisco vindicatur. *l. 5. §. 2. h. t.* Hodie nullus tituli hujus usus.

Tit. VI.

SI QVIS ALIQVEM TESTARI PROHIBVERIT VEL COEGERIT.

§. 1.

SI quis prohibuerit testamentum fieri, vel factum mutari, portio hereditaria ipsi debita fisco cedit, *l. 1. pr. h. t.* Sin vero tertius prohibuerit, hoc heredibus nocere haud potest. *l. 2. §. 1. h. t.*

§. 2. Testamentum per vim metumque extortum, ipso jure nullum est; arg. *l. 15. de Jurisd.*

l. 32. de Hered. instit. Dolus tamen ac metus ab allegante probari debet, cum non præsumatur. Locus tamen hic est delationi jurisjurandi, cum civiliter seu ad Interesse privatum agatur.

Tit. VII.

De JVRE CODICILLORVM.

§. 1.

COdicillus est minus solennis ultima voluntas de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, absque directa heredis institutione.

§. 2. Codicilli sunt vel scripti, vel nuncupativi, & vel cum testamento, vel ab intestato conditi.

§. 3. In codicillis sufficiunt quinque testes; *l. ult. §. ult. C. h. t.* neque rogatio eorum necessaria est, §. *ult. I. de Codicill.* in iisdemque testes esse possunt etiam legatarii & fideicommissarii particulares. §. *ult. I. de Testam. ordin.* Aliquando etiam plane nullis testibus opus est, si scilicet testator præsentem heredem roget, ut hereditatem vel certam rem alteri restituat, *l. ult. C. de Fideicomm.* Quo casu heredi super tali fideicommisso relicto juramentum deferri potest, *cit. l. ult.*

§. 4. Interdum etiam testamentum, si tanquam testamentum valere non possit, jure codicil-

dicilli subsistit, vi clausulæ codicillaris, per quam testator enixam voluntatem suam declarat, quod testamentum, si non valere possit, ut testamentum, tamen ut codicillum, aliove quocunque modo valere velit. Effectus hujus clausulæ est, quod testamentum alias vitiosum in vim fideicommissi sustineatur, adeoque heres ab intestato successurus, intelligatur rogatus esse, ut detracta Trebellianica reliquam hereditatem heredi in eodem testamento scripto restituat. Ubi tamen cautus esse debet, qui ex hujusmodi testamento hereditatem petit, ut, si intelligat, illud non subsistere jure testamenti, statim in clausula codicillari se fundet; alias enim, si totam hereditatem ex testamento qua tali petierit, & succubuerit, non potest dourantem per modum fideicommissi ex clausula codicillari petere, per *l. 8. pr. C. de Codicill.*

Lib. XXX. XXXI. & XXXII.

Tit. I.

De

LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS.

§. 1.

LEgatum est donatio quædam, a defuncto verbis directis relicta, & ab herede præstanda.

§. 1. *I. de Legat.* Dicitur quædam donatio, nam per omnia talis non est, cum non requirat acceptationem, quæ in donatione necessaria est. *l. 55. de Oblig. & act.*

§. 2. Legata olim quadruplicis generis erant; §. 2. *I. h. t.* Hodie vero una eademque eorum natura est. §. 3. *I. eod.* Relinquitur legatum tam in codicillis, quam in testamento.

§. 3. Si res legata sit, quæ nondum actu, sed spe tantum in rerum natura est, legatum purum quidem est quoad transmissionem, conditionale autem quoad obligationem; nisi forte fundus demonstrationis gratia tantum adjectus fuerit, tunc enim totum id, quod legatum est, debetur, licet nihil in eo fundo natum fuerit. *l. 27. §. 2. de Legat. & fideicomm. l. 11. de Alim. leg.*

§. 4. Si res litigiosa legata sit, quam talem testator scivit, nonnisi dubius litis eventus, sumtibus tamen heredis præstatur. *Nov. 112. cap. 1.* eoque casu legatarius causam suscipere nequit, propter *l. 55. de Legat. 1.* assistere tamen heredi potest. *Nov. 112. cap. 1.* Sicuti etiam nihil impedit, quo minus tanquam Procurator in rem suam nomine heredis litem suscipiat.

§. 5. Si quis rem cum alio communem, aut in qua solum utile dominium habet, alteri leget, in dubio id tantum legatum esse intelligitur, quod testatoris est. Quod si tamen testa-

tor

tor postea totam rem acquisiverit, tota debetur. *arg. l. 8. pr. de Legat. & fideicomm. 1.*

§. 6. Si legata sit res testatoris, sed oppignorata, legatum non solum valet, sed etiam heres, si testator eam oppignoratam esse scivit, luere tenetur. *l. 57. de Legat. & fideicommiss. 1.* Probatio autem, quod sciverit, incumbit legatario, *arg. §. 4. I. de Legat.* cum in scientia testatoris se fundet. Par ratio rei alienæ legatæ est; si enim testator sciverit, alienam esse, heres eam vel comparare, vel æstimationem præstare tenetur, *cit. §. 4.* sin ignoraverit, ne quidem æstimatio ejus debetur.

§. 7. Si genus legatum sit, nec optimum, nec pessimum, sed mediocre debetur. *l. 37. de Leg. & fideicomm. 1.* Quod secus est, si optio legata sit, tunc enim legatarius optimum eligere potest.

§. 8. Comparatæ sunt ad legatum consequendum tres actiones: (1) Rei vindicatio, ob dominium rei in specie legatæ, quæ testatoris propria est, post illius mortem in legatarium ipso jure transiens. *l. 80. de Legat. & fideicommiss. 2.* (2) Actio quasi Serviana, seu hypothecaria, ob hypothecam, quæ in securitatem legati in reliquis defuncti bonis competit: *l. 1. C. Comm. de legat.* Quæ tamen hypotheca non pertinet ad ipsam rem legatam, quippe quæ testatoris propria est; talis autem ipsi domino hypothecæ suppositæ esse nequit; neque ad res aliis legatas.

Vid. *Ziegl. ad Ord. Proc. Sax. t. 46.* verb. In aller des teſtatoris Verlaſſenſchafft. aut ad eas, quæ heredis propriæ ſunt. *l. 1. C. Comm. de leg.* (3) Actio ex teſtamento, quæ perſonalis eſt, & ex quaſi contractu, ſcilicet aditione hereditatis, oritur. §. *5. I. de Oblig. quæ quaſ. ex contract. oriunt. l. 29. §. 3. de Legat. 3.* Datur etiam remedium *l. ult. C. de Edict. D. Adrian. toll.* ſi jus legatarii liquidum, nec legitimus contradictor adſit.

§. 9. In hereditatibus & legatis pluribus conjunctim relictis obtinet etiam jus accreſcendi, quo portio vacans accreſcit adjuncto, qui partem ſuam agnovit; idemque jus ad conſervandam hereditatis individuiatem introductum eſt, & præſumta teſtatoris voluntate nititur. *§. 8. I. de Legat.* Conjunctio autem fit vel re tantum, vel verbis tantum, vel mixtim ſeu re & verbis.

Lib. XXXIII. Tit. I.

De
ANNVIS LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS.

SI in ſingulos annos aliquid relictum, dicitur legatum annuum, quod ratione primi anni purum eſt, ratione futurorum autem conditionale, *l. 4. & 11. h. t.* Ab hoc legato differt illud, quo certa ſumma legata, ſolutio autem in di-

in diversa tempora collata est; hoc enim unum & purum esse intelligitur, adeoque in heredes transmittitur. *l. 20. Quand. dies legat. ced.*

Tit. II.
De
VSV ET VSVFRVCTV, ET REDITV, ET HABITATIONE, ET OPERIS PER LEGATVM VEL FIDEICOMMISSVM DATIS.

§. 1.

SI quis fundum alicui leget ad utendum fruendum, vel etiam usumfructum cum plenissima & liberrima alienandi potestate, ipsa proprietas legata esse censetur. Arg. *l. 15. de Aur. & arg. Carpz. P. 3. Const. 13. def. 9. & 11.* Sin annui fructus legati, ususfructus legatus esse intelligitur. *l. 41. h.*

§. 2. Si uni fundus, alteri ususfructus ejus legatus sit, in usufructu ambo concurrunt; quia fundi vocabulum, præter proprietatem, etiam usumfructum includit. *l. 19. l. 26. §. 1. h. t.*

Tit. III.
De
SERVITVTE LEGATA.

SErvitutes reales non minus, quam personales, legari queunt, ita ut heres ad patientiam obligetur. *t. h. t.*

Tit. IV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819013587/phys_0295
DFG

Tit. IV.

De DOTE PRÆLEGATA.

§. 1.

SI ab uxore marito dos illata, eidemque rursus prælegata sit, legatum subsistit; cum in eo plus esse intelligatur, quam in ipsa dote, *l. 1. §. 2. h. t.* & quidem (1) ratione temporis, cum dos in mobilibus constituta demum post annum, *l. un. §. 7. C. de Rei ux. act.* legatum vero dotis mox debeatur; (2) ratione actionis; olim enim nonnisi actio personalis ad dotem petendam competebat, *l. 3. §. 2. de Leg. 3.* cum ex testamento simul actio hypothecaria pro consequendo legato oriatur: (4) ratione exceptionis competentiæ; quamvis hoc in præsenti casu parum operari, recte putet *B. Stryk. ad Lauterb. h. t.*

§. 2. Si nullam dotem maritus acceperit, ejus legatum nihilosecius valet; modo certa quantitas expressa sit. *§. 15. I. de Legat. l. 25. §. 1. de Leg. 1.*

§ 3. Si dos non a patre, sed extraneo legata sit, tacitam semper conditionem: *si nuptiæ sequantur*, legatum includit. *l. 31. & 41. §. 1. de Jur. dot. l. 71. §. 3. de Condit. & demonstrat.* A patre vero relicta dos loco legitimæ reputatur, adeoque nuptiis licet non secutis debetur; unde colligi videtur posse, eo casu, quo præter legitimam

mam dos filiæ relicta est, legatum dotis itidem conditionale esse, & casum matrimonii supponere. *B. Stryk. ad Lauterb. h. t. in fin.*

Tit. V.

De OPTIONE VEL ELECTIONE LEGATA.

§. 1.

PEr legatum optionis legatarius consequitur facultatem optimum eligendi; cum regulariter nonnisi mediocre eligere liceat. *§. 23. I. de Legat. l. 9. §. 1. de Dol. mal.*

§. 2. Optio hæc transit etiam ad heredes, *d. §. 23.* modo legatarius post aditam hereditatem decesserit; cum enim ante aditionem ipse optare non potuerit, nec jus optandi in heredes derivare potest. *B. Stryk. ad Lauterb. h. t. in pr.* Nec obstat, quod personalissima dicatur optio in *l. 76. de Verb. oblig.* Per hoc enim heredes non excluduntur, sed tantum innuitur, facultatem optandi alteri committi non posse.

Tit. VI.

De TRITICO, VINO ET OLEO LEGATO.

L. 3.

§. 1.

LEgatum tritici omne frumentum complectitur. *l. 94. de V. S.*

§. 2. Si vinum legatum sit, debetur omne id, quod numero vini testator habuit, modo non toto genere diversum sit. *l. 9. h. t. l. 19. eod.* Vinum vetus legatum complectitur omne id, quod non est de anno ultimo, nisi de alia mente testatoris appareat. Vid. *l. 10. & 11. h. t.*

Tit. VII.

De

INSTRVCTO VEL INSTRVMENTO LEGATO.

SI fundus legatus sit cum instrumento, ea tantum instrumenta debentur, quæ fructuum quærendorum conservandorumque causa comparata sunt. *l. 8. & 12. h. t.* Ab hoc legato differt legatum fundi instructi, quippe quod omnia, quæ paterfam. usus & ornamenti gratia in fundo habuit, includit. *l. 12. §. 27. h. t.* Non tamen comprehendit ea, quæ tantum custodiæ & venditionis gratia ibi habuit. *cit. l. 22. §. 36. seq.*

Tit. VIII.

De

PECVLIO LEGATO.

DE peculio legato agitur in §. *20. I. de Legat.* Notandum, quod legatum servi non includat peculium, nisi simul expressum sit, *l. un. C. de*

C. de Pecul. ej. qui libert. Legatum tamen peculii acceſſionis vice eſt, adeoque cum ſervo extingvitur. *l. 1. & 2. h. t.*

Tit. IX.

De

PENV LEGATA.

SUb legata penu continetur omne, quod eſui potuique inſervit, hominis alendi gratia, *l. 3. & 5. ff. h. t.* Unde medicamenta huc non pertinent, *cit. l. 5.* neque regulariter Tobacum, niſi forte ad quotidianum uſum teſtator adhibere conſueverit. *B. Stryk. ad Lauterb. tit. §. h. Lib.*

Tit. X.

De

SVPELLECTILE LEGATA.

LEgatum ſupellectilis comprehendit omne domeſticum patrisfam. inſtrumentum, quod neque argento aurove facto, neque veſti annumerantur; *l. 1. ff. de Supellect. legat.* non etiam libros; imo ne quidem thecas & capſas eorum. *l. 3. §. 4. ff. de Supellect. legat.*

Lib.

Lib. XXXIV. Tit. I.

De
ALIMENTIS VEL CIBARIIS LEGATIS.

§. 1.

LEgatum alimentorum intelligitur esse, quando victus aut educatio legata est; *l. 43. seq. de V. S.* non etiam quando diarium aut cibarium legatum est. *l. 21. h. t.*

§. 2. Legatum vero hoc comprehendit omnia, quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt. *l. 6. h. t. l. 43. seq. de V. S.* Non ergo sumtus funeris, *Carpz. P. 2. Const. 4. def. 23.* neque sumtus studiorum, nisi de alia testatoris voluntate constet, *l. 6. 7. h. t.* Ad tempus pubertatis legata alimenta usque ad plenam pubertatem debentur. *l. 14. §. 1. h. t.*

Tit. II.

De
AVRO, ARGENTO, MVNDO, ORNAMENTIS, VNGVENTIS, VESTE, VESTIMENTIS ET STATVIS LEGATIS.

§. 1.

SVb auro legato non venit illud, quod testatori debetur, *l. 17. §. 2. h. t.* neque etiam pecunia signata. *l. 19. h. t.*

§. 2.

§. 2. Si pecunia parata, das baare Geld legata sit, non comprehenduntur nomina. *Carpz. P. 3. Const. 13. def. 34.*

§. 3. Legatum vestium generale est, adeoque non solum quotidianas, sed sed & festivas includit. *l. 26. §. 1.*

Tit. III.
De
LIBERATIONE LEGATA.

§. 1.

Liberatio intelligitur legata esse, quando testator jus ad rem alicui remittit, *l. 1. h. t.* Qua ratione legatarius consequitur non solum exceptionem peremtoriam, *l. 3. §. 2. h. t.* sed etiam actionem ex testamento contra heredem ad id, ut per acceptilationem ipsum liberet. *l. 75. §. 1. de Legat. 1.*

§. 2. Creditori etiam debitum legari potest, modo in legato plus sit, quam in debito, §. *14. I. de Legat.* idque vel ratione rei, vel loci, vel temporis. Vid. *l. 29. de Legat. 1.*

Tit. IV.
De
ADIMENDIS VEL TRANSFERENDIS LEGATIS VEL FIDEICOMMISSIS.

§. 1.

ADemtio legatorum fit contraria voluntate declarata, sive verbis, coram quinque testibus, *l. 14. §. 1. h. t.* junct. *l. ult. C. de Codic.* sive facto, quod vel directe ad ademtionem tendit, quo refertur cancellatio, dilaceratio; vel indirecte, v. gr. si testator rem legatam alienaverit animo adimendi, qui præsumitur, si sponte & ultro absque necessitate alienatio facta sit. *l. 18. l. 24. §. 1. h. t.*

§. 2. Translatio legati dicitur, quando in locum legati prioris aliud constituitur; *l. 5. & 6. h. t.* sive objectum, sive subjectum, sive modus legandi mutetur.

§. 3. Infirmatur etiam legatum per destructionem ipsius corporis legati, *l. 88. §. 2. de Legat. 3.* vel efformationem novæ speciei ex re legata, quæ ad priorem materiam reduci nequit. *cit. l. pr. & §. 1.* Item si legatarius moriatur, antequam dies legati cesserit, *l. un. §. 4. C. de Caduc. toll.* aut res legata ex causa lucrativa ad legatarium pervenerit. *§. 6. I. h. t.*

Tit. V.

De

REBVS DVBIIS.

COrruit penitus legatum eo casu, quo verbis ita ambiguis relictum est, ut de mente testato-

ſtatoris plane non conſtet. *l. 2. de His, quæ pro non ſcript.* In interpretandis vero ejusmodi verbis, quorum dubius ſenſus eſt, id ſemper, quod magis veriſimile eſt, ſequendum venit. *l. 13. h. t.*

Tit. VI.

De

HIS, QVÆ POENÆ CAVSA RELINQVUNTVR.

INvalidum olim & illud legatum erat, quod pœnæ, ſeu coërcendi heredis cauſa relictum eſſet. Hodie autem tale legatum valet, modo nihil impoſſibile contineat. *l. un. C. de His, quæ pœn. nom. §. ult. I. de Legat.*

Tit. VII.

De

REGVLA CATONIANA.

REgula huc redit: Quod ab initio vitioſum eſt, tractu temporis non convaleſcit, adeoque nec legatum ab initio invalidum ex poſtfacto robur accipit. *l. 1. ff. h. t.*

Tit. VIII.

De

HIS, QVÆ PRO NON SCRIPTIS HABENTVR.

SI quis propria manu vel ſibi, vel ei, quem in poteſtate habet, legatum adſcripſerit, illud

non solum pro non scripto habetur, & legatum penes heredem manet, sed etiam legatarius in crimen falsi incidit, & extraordinariam pœnam incurrit. Add. *l. 6. ad L. Corn. de Falsi.*

Tit. IX.

De

HIS, QVÆ VT INDIGNIS AVFERVNTVR.

QVando quis indignus est legato, ipsum quidem legatum subsistit, sed legatario tamen ademtum fisco vindicatur. *l. 1. pr. de Jur. fisc.* Qui vero sint indigni, vid. apud *Lauterb. ad h. t. p. 525.*

Lib. XXXV. Tit. I.

De

CONDITIONIBVS ET DEMONSTRATIONIBVS, ET CAVSIS ET MODIS EORVM, QVÆ IN TESTAMENTO SCRIBVNTVR.

§. 1.

SIcuti regulariter quævis conditio honesta & possibilis in ultimis voluntatibus adjici potest, ita turpis & impossibilis detrahitur, ac pro non adjecta habetur; cum hic nihil imputari heredi

redi & legatario possit, quod talem conditionem adjici passus sit. *l. 3. l. 20 h. t.* Quod secus est in pactis & contractibus, qui per hujusmodi conditionem vitiantur.

§. 2. Utrum vero turpis conditio sit, per quam mutatio religionis injungitur, dubitari potest. Negat *B. Stryk. Annot. ad Lauterb. h. t. Voc. turpis.* cum ex parte legantis nulla turpitudo sit, qui per legatum viam alteri ad veram fidem amplectendam aperire cupiat. Add. tamen *Jpr. R. G. l. II. t. 24. §. 21. in fin.*

§. 3. Si quid sub conditione negativa, de cujus existentia ante mortem personæ honoratæ nihil certi affirmari potest, relictum sit, v. gr. si in Galliam iter non fecerit, legatum solvendum est, præstita cautione, quæ Mutiana dicitur qua cavet legatarius, quod conditionem implere, aut si non impleverit, id, quod accepit, vel ejus æstimationem restituere velit. *l. 7. l. 18. l. 73. h. t.*

§. 4. Si dies certus legato adjectus sit, statim a morte testatoris cedit, exactio autem tamdiu, donec veniat, differtur. *l. 21. Quand. dies leg. ced.*

§. 5. Si res legata præter nomen alia ratione designata sit, demonstratio dicitur, cujus falsitas legatum non vitiat. *l. 34. §. 6. l. 17. §. 1. h. t.*

§. 6. Par ratio falsæ causæ est, quæ & ipsa regulariter legatum haud vitiat. *l. 17. §. 2. h. t.*

§. 7. Si quid sub modo legatum sit, seu cum adjectione, quid testator post acceptum legatum

fieri velit, statim exigi potest, modo legatarius de adimplendo modo caveat. *l. 40. §. ult. h.*

Tit. II.
AD LEGEM FALCIDIAM.

§. 1.

PEr L. Falcidiam, quæ plebiscitum est, conceditur heredi legatis ultra dodrantem gravato facultas quartam partem detrahendi ac retinendi, *l. 1. pr. h. t.* ne scilicet heredis institutio plane inutilis heredi sit, & forte ipsum testamentum, si heres, quod nullum commodum ex eo sensurus sit, hereditatem adire recusset, effectu destituatur. *pr. I. h. t. l. 15. §. 1. h. t.*

§. 2. Ad constituendam quartæ Falcidiæ quantitatem æstimanda est hereditas, prout tempore mortis fuit, deducto ære alieno. §. 2. *I. h. t. l. ult. §. 5. C. de Jur. deliber.* Quia vero heres, retenta quarta Falcidia, solus omnia onera hereditaria sustinet, inde in eam nonnisi illa imputantur, quæ jure hereditario, non vero quæ jure singulari, v. gr. prælegati, accepit. *l. 74. 91. h. t.* in quo a quarta Trebellianica differt.

§. 3. Contraria hujus quartæ & quibus casibus cessat, vid. apud *Lauterb. h. t. circ. fin.*

Lib.

Lib. XXXVI. Tit. I.

AD SENATVS-CONSVLTVM TREBELLIANVM.

§. 1.

SIcuti legatum verbis directis, ita fideicommissum verbis obliquis seu precariis relinquitur. Estque vel universale, vel particulare: Illud est, quando vel tota hereditas, vel pars ejus quota restituenda est; hoc vero dicitur, quando res singularis aut certa quantitas verbis precariis relicta.

§. 2. Fideicommissum coram quinque testibus relinqui potest; adeoque etiam in codicillis, sive sit universale, sive particulare. §. *ult. I. de Fideicomm. hered. l. ult.* §. *ult. C. de Codicill.* Excipitur casus, quo præsentem, v. gr. heredem, testator rogavit, ut restitueret, tunc enim fideicommissum valet, nullis licet testibus præsentibus, ac heredi super illo juramentum deferri potest, per *l. ult. C. de Fideicomm.* Add. §. *ult. I. de Fideicomm. hered.*

§. 3. Ad fideicommissum universale ab herede fiduciario consequendum nulla specialis actio datur, sed tantum extraordinaria persecutio, seu imploratio officii judicis. *l. 178.* §. *2. de V. S.*

§. 4. Potest autem heres fiduciarius a fidei-

commisso universali detrahere quartam partem hereditatis, quæ a SCto Trebelliano, in quod Pegasianum transfusum est, Trebellianica dicitur, §. 7. *I. de Fideicomm. hered.* in eamque imputantur omnia, sive universali, sive singulari titulo heredi obvenerint. *l. 91. ad L. Falc.* Hoc casu tamen heres fiduciarius non nisi pro quarta parte onera hereditaria sustinet.

§. 5. Fideicommissum particulare per omnia legatis exæquatum est, adeoque intuitu illius eædem actiones dantur, quæ ratione legatorum competunt. *l. 1. de Legat. & fideicomm. 2. l. 2. C. Commun. de Legat. §. 3. I. de Legat.*

Tit. II.
QVANDO DIES LEGATORVM VEL FIDEICOMMISSORVM CEDAT.

§. 1.

Dies cedere dicitur, quando incipit deberi, venire autem, cum exigi potest. *l. 213. de V. S.*

§. 2. In legato puro, nec non sub die, qui conditionem non facit, relicto, dies ex tempore mortis cedit. *l. 5. §. 1. h. t. l. 18. de Manum. testam.*

§. 3. Effectus in eo consistit, quod Legatum, cuius dies cessit, quamvis nondum acquisitum sit,

sit, ad heredes transmittatur. *l. 5. pr. h. t. l. 3. C. eod.*

§. 4. In legato conditionali, quale etiam est illud, quod sub die incerto an relictum est, dies cedit demum ex tempore existentis conditionis, aut diei. *l. 5. §. 2. l. 41. de Condition. & demonstr. l. 22. pr. h. t.*

Tit. III.

VT LEGATORVM SIVE FIDEICOMMISSORVM SERVANDORVM CAVSA CAVEATVR.

§. 1.

HEredes, aliive legatis aut fideicommissis onerati cavere tenentur illis, quibus ex voluntate defuncti aliquid præstandum est, præsertim si quid sub die aut conditione relictum, quod id eo tempore, quo testator voluit, præstituri sint. *l. 1. h. t.*

§. 2. Intuitu hujus cautionis datur actio ex stipulatu contra fidejussorem.

§. 3. Prohibitio testatoris efficit, ne hanc cautionem præstari oporteat. *l. 2. l. 16. C. l. 12. h. t.* Add. *l. penult. C. de Pact.*

Tit. IV.

VT IN POSSESSIONE LEGATORVM VEL FIDEICOMMISSORVM SERVANDORVM CAVSA ESSE LICEAT.

§. 1.

SI oneratus in præstanda cautione contumax sit, ille, cui aliquid præstare debet, in possessionem rerum hereditariarum, nec non heredis, post lapsos a petitione 6. menses mittitur. *l. 6. C. h. t.* Ex qua missione honoratus consequitur pignus Prætorium, *l. 5. §. 3. seq.* nec verus possessor, sed tantum detentor est; possessio enim & dominium penes heredem manent. *l. 5. h. t.*

§. 2. Hodie immissio hæc, & resultans ex illa pignus Prætorium, necessarium haud videtur, propter hypothecariam actionem, quæ legatariis & fideicommissariis competit. *l. 5. C. h. t. l. 1. Comm. de Legat.* Vtiliter tamen hæc immissio interdum peti potest, cum utique tutius sit rei insistere, quam actione hypothecaria, quæ ordinaria est, experiri.

Lib. XXXVII. Tit. I.

De

BONORVM POSSESSIONIBVS.

§. 1.

QUia Prætor directo jure heredem facere non potest, cum id nomen Juris Civilis sit, facit bonorum possessorem; qui tamen in effectu heres est, nec nisi nomine ab eo differt. *l. 138. de V. S. l. 19. §. 2. de Condit. & demonstr.*

§. 2. Definitur Bonorum Possessio, quod sit jus persequendi retinendique patrimonii, sive rei, quæ cujusque, cum moritur fuit. *l. 3. §. 2. h. t.*

§. 3. Requirebatur autem olim solennis agnitio & petitio bonorum possessionis, *l. 1. Comm. de Succeff. l. 2. §. 1. Quis ord. in bon. poff. ferv.* Hodie sufficit qualiscunque voluntatis declaratio coram judice facta. *l. ult. C. Qui admitt. ad bon. poff.*

§. 4. Peti debet bonorum possessio a parentibus & liberis intra annum, a reliquis vero intra centum dies, *§. 4. l. h. t.* Quod tempus hodienum illis in casibus, ubi adhuc aliquis bonorum possessionis usus est, attendi debet.

§. 5. Bonorum possessio dividitur in Decretalem,

talem, quæ prævia causæ cognitione ex decreto pro tribunali datur. *l. 2. §. 1. Quis ord. in bon. poss. serv.* & Edictalem, quæ ex Edicto sine causæ cognitione de simplici & plano datur. *l. 2. §. 1. Quis ord. in poss. serv.*

Tit. II.

SI TABVLÆ TESTAMENTI EXTABVNT.

VT bonorum possessio intuitu testamenti indulgeatur, requiritur, ut tale existat; sufficit autem, tempore mortis extitisse, licet postea perierit. *l. un. h. t.*

Tit. III.

De

BONORVM POSSESSIONE FVRIOSO, INFANTI, MVTO, SVRDO, COECO COMPETENTE.

TEmpus petendæ bonorum possessionis utile est, adeoque non nisi scienti currit. *l. 10. ff. de Bon. poss.* non igitur furioso, infanti, aliisque, qui nesciunt, quid agant; cum non valenti agere, præscriptio haud currat. *l. 1. ff. h. t.* Currit autem muto, surdo & cœco, cum deficiat in illis modo dicta ratio, quippe qui id, quod agunt, satis intelligunt. *l. 2. ff. h. t.*

Tit. IV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819013587/phys_0312
DFG

Tit. IV.

De

BONORVM POSSESSIONE CONTRA TABVLAS.

§. 1.

Si heres suus præteritus sit in testamento, est illud ipso jure nullum; sin autem filius emancipatus præteritus sit, perinde erat jure veteri, ac si exheredatus esset, indeque querelam non habebat. Succurrit autem ipsi Prætor dando bonorum possessionem contra tabulas. Quo remedio hodie amplius opus non est, postcaquam per *Nov. 115. cap. 3.* testamentum patris, in quo liberi etiam emancipati, non instituti heredes, aut rite exheredati sunt, nullum declaratum est, cum hoc in passu inter suos & emancipatos nulla amplius differentia intercedat.

§. 2. Quamvis autem olim per bonorum possessionem contra tabulas totum patris testamentum rescissum fuerit, hodie tamen ex dispositione memoratæ *Nov. 115.* sola heredis institutio infirmatur, reliqua autem testamenti capitula sustinentur.

Tit. V.

De

LEGATIS PRÆSTANDIS CONTRA TABVLAS BONORVM POSSESSIONE PETITA.

§. 1.

§. 1.

Legata quædam debentur, petita licet bonorum possessione contra tabulas, scilicet ea, quæ præstanda sunt parentibus & liberis, item uxori & nurui dotis nomine, *l. 1. h. t. l. 1. C. eod.* Ubi tamen supponitur, emancipatum præteritum hoc remedio uti, nam si suus præteritus ad idem confugiat, nulla legata præstat, ne conditio illius Jure Prætorio deterior fiat, quam Jure Civili futura erat. *l. 15. pr. h. t.*

§. 2. Quid hodie juris sit, liquet ex iis, quæ ad titulum præcedentem in fine diximus.

Tit. VI. & VII.

De COLLATIONE. & DE DOTIS COLLATIONE.

§. 1.

Collatio est actus, quo heredes descendentes ascendentibus succedentes, res, quas ab ipsis vivis acceperunt, in communem hereditatem conferunt.

§. 2. Dividitur in veram, qua res actualiter confertur, *l. 1. §. 11. h. t.* & quasi collationem, quæ per fictionem juris fieri intelligitur, *l. 1. §. 8. de Dot. collat.* v. gr. si quis tanto minus ex hereditate capiat.

§. 3.

§. 3. Olim soli emancipati per bonorum possessionem contra tabulas, vel ex edicto unde liberi ad ascendentium hereditatem admissi, suis conferebant, *l. 1. pr. §. 5. l. 2. §. 5. h. t.* deinceps etiam filiæ in potestate constitutæ dotem conferre jussæ sunt, *l. 1. & t. t. de Dot. collat.* Jure novo autem omnes descendentes indistincte conferunt.

§. 4. Quod si nepos, repudiata hereditate paterna, avitam retineat, ab onere collationis immunis est. Ubi tamen supponitur, nepotes jure proprio succedere, non vero jure repræsentationis; quod tunc fieri necessum est, quando cum patruis & avunculis concurrunt; non enim aliter, quam in parentum suorum locum succedendo, eosdemque repræsentando ad avi aviæque hereditatem adspirare queunt, atque adeo etiam onus collationis, quod iisdem incumbebat, subire tenentur. *l. 1. §. 4. & 5. de Suis & legit. hered. l. 7. h. t.* Non autem nepos hoc casu æs alienum, quo pater ejus defuncto avo obstrictus fuerat, conferre cogitur; quia termini habiles collationis in ære alieno deficiunt; confertur enim id, quod non in hereditate, sed in bonis cohæredis est, *l. 6. C. h. t.* Atqui æs alienum non in bonis debitoris, sed in bonis defuncti esse intelligitur: *l. 49. de V. S.* Quem in modum judicatum esse refert *Hub. ad Pandect. h. t. pos. 5. p. 467.*

§. 5. Ascendentes & collaterales oneri collationis

tionis obnoxii haud sunt. *l. 1. pr. §. 5. h. t.* Ne hodie quidem; cum hic nihil mutatum sit. Add. *Carpz. P. 3. Const. 11. def. 16. in fin.*

§. 6. Conferebantur olim omnia, quæ liberis adveniebant, bona, præter castrensia & quasi castrensia. *l. 1. pr. l. 3. §. 3. h. t.* Hodie vero ea tantum conferuntur, quæ acceperunt liberi (1) a Parentibus, quibus succedunt, *l. 17. C. l. ult. C. h. t.* aut intuitu eorum ipsis obvenerunt, *l. 5. §. 2. de Jur. dot.* (2) vivis, *l. 13. l. 15. C. h. t.* Non ergo mortis causa donata; *l. 11. 16. C. eod.* (3) quæ mortis tempore liberi adhuc in bonis habent, *l. 1. 2. § 2. & 4. h. t.* nisi forte dolo aut culpa eadem possidere desierint. *l. 1. 23. l. 2. §. 2. h. t.*

§. 7. Bona Castrensia aut quasi castrensia, nec non sumtus doctorales, haud conferuntur. *l. 1. C. de Castrens. pecul. l. 1. §. 16. ff. eod. l. 20. pr. C. Eod.*

§. 8. Donatio propter nuptias regulariter confertur, ut & dos, *l. 1. & t. t. de Dot. collat.* aliæque res nuptiarum tempore filiæ datæ, *Auth. Ex testamento C. h. t.* Non etiam confertur donatio simplex. *l. penult. §. 1. C. h. t.*

§. 9. Præterea non confertur, quod ex singulari pietate, v. gr. ad redemtionem captivorum, datum est, *l. 17. C. de postlim. reversi.* Neque etiam illa, quæ ob benemerita ad remunerationem data sunt.

§. 10.

§. 10. Petitur collatio imploratione Nobilis Judicis Officii, vel etiam actione familiæ herciſcundæ, quia hæc ad omne illud, quod heres cohæredi præſtare tenetur, competit. *l. 22. §. 4. famil. herciſc.*

§. 11. Si de quantitate ejus, quod acceptum eſt, non conſtet, juramento purgatorio locus eſt, quod ſcilicet is, qui conferre tenetur, non plus, quam allegat, acceperit. Vid. *Mev. P. I. dec. 81.*

§. 12. Ceſſat conferendi neceſsitas, ſi eamp ater remiſerit; modo hæc remisſio in fraudem legitimæ non cedat; cum eandem pater nullo modo gravare poſsit. *l. 32. C. de Inoff. teſtam.*

Tit. VIII.

De CONJVNGENDIS CVM EMANCIPATO LIBERIS.

§. 1.

JUre Civili emancipatum filium liberi ejus, qui in poteſtate avi remanſerunt, ab hereditate excludunt; Prætor autem eosdem ſimul admiſit.

§. 2. Hodie titulus hic uſum habere nequit; cum Jure Novo per *Nov. 115.* emancipati eodem jure, quo ſui ſuccedant, adeoque liberos ſuos excludant, & quoad modum ſuccedendi tantum, ſeu transmisſionem hereditatis, differentia ſuperſit.

Tit. IX.

De VENTRE IN POSSESSIONEM MITTENDO, ET CVRATORE EJVS.

§. 1.

VXor vel nurus defuncti prægnans, cujus venter præteritus est, mittitur a Prætore in possessionem bonorum defuncti, & Curator ventris constituitur, qui interim bona administret, omniaque uxori præstet, sine quibus partus salvus esse non potest. *l. 1. §. 2. & 19. h. t.*

§. 2. Hodie tituli hujus usus frequentissimus est, si vasallus uxorem prægnantem relinquat, ubi propter incertitudinem, utrum filium, an filiam editura sit, interim in possessionem feudi mittitur, deinceps vero, si filiam enixa sit, ex eo rursus discedere cogitur.

Tit. X.

De CARBONIANO EDICTO.

§. 1.

COnceditur ex hoc Edicto bonorum possessio decretalis liberis impuberibus, quibus quæstio status fuit mota. *l. 3. §. 4. & 5. h. t.* Hoc casu impubes, qui negatur esse filius defuncti, si satisdederit de bonis restituendis, si apparuerit, se filium vel justum non esse, jura heredum exercet

ercet usque ad pubertatem; quo tempore quæstio hæc terminanda est *l. 1. §. 1. h. t.*

§. 2. Titulus hic hodienum usum habere potest, si impubes præteritus, aut in casu intestati filius defuncti esse negetur; tunc enim adhuc hodie nihil obstat, quo minus in possessionem mitti, & quæstio principalis, an filius sit, post pubertatem differri possit; quamvis haud raro ipsa quæstio principalis de statu ante pubertatem ventilari ac terminari soleat. *Hub. Præl. ad ff. h. t. Pos. 4.*

Tit. XI.

De
BONORVM POSSESSIONE SECVNDVM TABVLAS.

§. 1.

EST hæc bonorum possessio Edictalis, quæ heredibus in testamento institutis conceditur, & necessaria est, quoties heres juris Civilis subtilitate ab hereditate excluditur.

§. 2. Sic ergo, si testamentum per nativitatem posthumi ruptum sit, hic vero ante testatorem decedat, heres scriptus hoc remedio Prætorio hereditatem adipiscitur. *l. 12. ff. de Injusto, rupto, irr. test.* Similis casus est in *l. 17. ff. eod.* si nempe filius præteritus testamentum impugnare nolit, item si heres sub conditione institutus sit; tunc enim,

pendente conditione, aliud remedium, præter hanc bonorum possessionem, non habet. *l. 2. §. 1. h. t.* Alius casus notabilis occurrit in *l. 1. §. 6. ff. h. t.* si duo testamenta eodem tempore condita & signata sint, nec appareat, utrum prius, aut posterius sit; tunc enim Prætor ex utroque testamento bonorum possessionem concedit; non secus, atque si unum esset; cum Jure Civili tali casu neutrum sustineatur.

§. 3. Utilitatis causa, & quia remedia hujusmodi Prætoria summaria sunt, ac faciliores probationes admittunt, hæc bonorum possessio confirmandi Juris Civilis gratia ad omnes heredes scriptos extensa est. *l. 8. §. ult. h. t.*

Tit. XII.

SI A PARENTE QVIS MANVMISSVS SIT.

§. 1.

PArentibus ad exemplum Patronorum competebat bonorum possessio adversus testamentum liberorum emancipatorum; Jure Civili enim nullum, quo id evertere possent, remedium habebant.

§. 2. Hujus tituli hodie nullus est usus; testamentum enim, in quo parentes a liberis emancipatis non instituti sunt heredes, aut rite exheredati, ipso jure nullum est. *Nov. 115. cap. 4.*

Tit. XIII.

De BONORVM POSSESSIONE EX TESTAMENTO MILITIS.

BOnorum possessio secundum militis testamentum datur, non contra illud. Est enim ita privilegiatum, ut quocunque modo conditum sustineatur.

Tit. XIV.

De JVRE PATRONATVS.

§. 1.

JUs patronatus est jus, quod domino manumittenti in personam vel bona manumissi acquiritur. *l. 3. h. t.*

§. 2. Contra testamentum, a liberto conditum, datur patronis bonorum possessio contra tabulas, si forte ipsum patronum præterierit, §. 3. *I. de Succeff. libert.* Hodie cum nulli amplius liberti, atque adeo nec patroni dentur, titulus hic usu destituitur.

Tit. XV.

De OBSEQVIIS PARENTIBVS ET PATRONIS PRÆSTANDIS.

§. 1.

LIberi parentibus obsequium ex ipso Jure Naturæ propter beneficium tum generationis,

tum educationis, quod priori plerumque cohæret, præstare tenentur.

§. 2. Ad exemplum parentum obsequium patronis præstandum est. Hinc patroni, æque ac parentes, nonnisi venia impetrata in jus vocantur, gaudent beneficio competentiæ, *l. 7. §. 1. h. t.* eorum persona sancta est, *l. 9. h. t.* nec actione famosa tenentur. *l. 5. §. 1. h. t.*

Lib. XXXVIII. Tit. I. II. III. IV. V.

De

OPERIS ET BONIS LIBERTORVM, DE LIBERTIS UNIVERSITATVM, DE ASSIGN. LIB. SI QVID IN FRAVD. PATR.

§. 1.

OPeræ sunt vel officiales, vel fabriles seu artificiales, nec debentur, nisi promissæ. *l. ult. de Oper. libert. l. ult. de Liber. caus.*

§. 2. Materia hæc in operis propriorum hominum, nec non rusticorum, usum sibi quandoque vindicat. Solent autem operæ esse vel determinatæ, vel indeterminatæ; quæ & ipsæ boni viri arbitrio interpretandæ, ac de solitis & consuetis intelligendæ sunt.

Tit. VI.

SI TABVLÆ TESTAMENTI NVLLÆ EXTABVNT, VNDE LIBERI.

§. 1.

§. 1.

Si testamentum vel plane non extet, vel invalidum sit, bonorum possessio defertur (1) liberis. *l. 7. §. 1. h. t.* Et sui quidem remedio hoc Prætorio libere utuntur, opus tamen eo non habent, quia ipso Jure Civili succedunt; emancipati autem nullo alio remedio olim consequi paternam hereditatem poterant. *l. 17. h. t.*

§. 2. Jure Novo, cum sublata sit differentia inter emancipatos & suos ratione juris succedendi, hæc bonorum possessio necessaria amplius haud est. Excipiunt tamen Dd. casum *l. ult. C. h. t.* quando scilicet avus moritur relicto filio, herede suo, & nepote ex illo; tunc enim si filius ante immixtionem moriatur, propter confusionem paternæ & avitæ hereditatis nepos secundum Jus Civile repudiare non videtur posse hereditatem patris eo cum effectu, ut soli avo succedat. Recurrendum igitur ipsi est ad hanc bonorum possessionem.

Tit. VII.
VNDE LEGITIMI.

Si liberi deficiant, defertur bonorum possessio agnatis, tanquam heredibus legitimis, & quidem confirmandi Juris Civilis gratia, quia jam tum ipso Jure Civili, deficientibus suis, agnati ad hereditatem ab intestato vocantur.

Tit. VIII.

VNDE COGNATI.

§. 1.

JUre Civili cognati olim nullum jus succedendi habebant, ne quidem deficientibus agnatis. Prætor autem dedit ipsis bonorum possessionem ex Edicto unde cognati.

§. 2. Hujus tituli hodie usus nullus est, cum cognati æque ac agnati Jure novo succedant, juxta *Nov. 118.* scilicet quoad bona allodialia; nam in feudis hodienum soli agnati succedunt, cognatis exclusis.

Tit. IX.

De SVCCESSORIO EDICTO.

§. 1.

EDictum Successorium est Jus Prætorium, quo, remoto proximo, sequentes ad successionem admittuntur.

§. 2. Filius ab hereditate tanquam filius exclusus, admittitur ut agnatus. *l. 1. §. 11. h. t.*

Tit. X.

De GRADIBVS ET AFFINIBVS, ET NOMINIBVS EORVM.

VId. *Tit. de Sponsal.*

Tit.

Tit. XI.

VNDE VIR ET VXOR.

SI deficiant descendentes, ascendentes, & collaterales, defertur successio Jure Prætorio conjugi superstiti, *l. un. h. t.* Quæ bonorum possessio ex Edicto Vnde vir & uxor non solum hodie non abrogata, sed etiam tum necessaria est, quando conjux ad totam hereditatem admitti cupit. Tituli, qui subsequuntur, hodie nullum usum præstant.

Tit. XV.

QVIS ORDO IN POSSESSIONE SERVETVR.

§. 1.

SI quis vel nullum condiderit testamentum, vel condiderit quidem, sed invalidum, defertur successio ab intestato, quæ definita est Jure Novo in *Nov. 118.* Suntque tres succedendi ab intestato ordines; (1) Descendentium; (2) Ascendentium; (3) Collateralium.

§. 2. Prima ratio est Descendentium, ex naturali ratione. Cum enim parentes in hos flagrantissimo affectu ferri soleant, iisdem bona omnia, quatenus de illis non dispoſuerunt, relinquere voluisse censendi sunt; unde ab his omnes alii, etiam ascendentes, excluduntur, & discrimen, quod olim inter filios & filias, item inter

ter suos & emancipatos ratione juris succedendi obtinuit, omne sublatum est.

§. 3. De legitimatis notandum, quod, si legitimatio per subsequens matrimonium facta sit, perinde, ac liberi legitime nati, succedant, *Nov. 12. in fin.* Etiam in feudis, ex consuetudine hodierna. De Jure Feudali enim aliud dicendum videtur, propter generalem dispositionem, quæ extat *2. Feud. 26.*

§. 4. Sin per Rescriptum Principis facta sit legitimatio, distingvendum est, an liberi legitime nati jam ante legitimationem adsint, & tum hoc modo legitimati non succedunt; *Nov. 29. cap. 9.* nisi Princeps aliud patre petente voluerit; an vero non extent, & tunc legitimati hi succedunt, sive legitimi liberi deinceps nascantur, sive non. Quod de allodialibus intelligendum; *Nov. 89. cap. 9.* Nam in feudis ne quidem hodie succedunt.

§. 5. Adoptivi liberi patri adoptivo ab intestato succedunt, sive sint arrogati, sive adoptati in specie, idque sive plene, sive minus plene. §. *2. I. de Adoption.*

§. 6. Liberi Naturales tantum matri ac maternis tanquam legitimi succedunt, *l. 2. l. 8. Vnd. Cogn.* Patri autem non succedunt, si liberos aut conjugem legitimam relinquat; alias patri naturali in duas uncias succedunt, inter ipsos & matrem eorum dividendas.

§. 7.

§. 7. Liberi Incestuosi, aut ex alio peculialiter damnato coitu nati, omni successione ascendentium excluduntur, adeo ut ne quidem alimenta ipsis ex parentum bonis Jure Civili debeantur, *Nov. 89. cap. ult.* quamvis hoc Jure Canonico mitigatum sit. *cap. 15. X. de Eo, qui dux. in ux.*

§. 8. Hereditati paternæ liberi renunciare non possunt Jure Civili; cum omnia pacta renunciativa reprobata sint. Possunt autem Jure Canonico mediante juramento, *cap. 2. de Pact. in 6.* Imo hodie propter generalem pactorum validitatem hujusmodi pacta etiam injurata valere existimem; in eamque opinionem ab ordine Vitembergensi responsum esse memini.

§. 9. Alter Ordo succedendi ab intestato est ascendentium, qui succedunt, cum descendentes deficiunt. Concurrunt autem Jure Civili cum fratribus & sororibus defuncti germanis. *Nov. 118. cap. 2.* eorumque liberis. *Nov. 27. cap. 15.* Jure Saxonico autem omnes collaterales excluduntur.

§. 10. Succedunt Ascendentes secundum proximitatem gradus, sive jure repræsentationis; & quidem, si omnes ejusdem lineæ sint, æqualiter succedunt, sin diversæ lineæ, tunc hereditas in duas partes dividitur, quarum una paternis, altera maternis datur. Add. *Nov. 118. c. 2.*

§. 11. Tertius Ordo successionis ab intestato est colla-

collateralium, & fratres quidem sororesque bilaterales, reliquos omnes, etiam fratres unilaterales, excludunt. *Nov. 118. cap. 4.* Quod & de bilateralium fratrum liberis verum est; nam & hi unilateralibus fratribus potiores sunt, *cit. Nov. cap. 3.* Igitur Jure Civili, si fratres germani cum prædefunctorum fratrum liberis concurrant, succedunt in stirpes. *cit. cap. 3.* In Saxonia autem jus repræsentationis in linea collaterali plane locum non habet; nempe quoad bona allodialia, fratres autem unilaterales pro uno gradu remotioribus habentur, der einseitige Bruder tritt um einen grad zurück.

§. 12. Post fratres reliqui cognati admittuntur ordine, secundum proximitatem graduum, & ne Jure quidem Civili repræsentationis aut duplicitatis vinculi ratio in illis habetur, *Nov. 118. cap. 3. §. ult.* Succedunt autem in infinitum, *cit. cap. 3.* non tantum ad decimum usque gradum, ut aliqui volunt; hujus enim gradus nonnisi tanquam exempli remotioris cujusdam gradus mentio fit in LL.

§. 13. Si nec cognati adsint, Jure Prætorio integra hereditas ex Edicto Vnde vir & uxor ad conjugem defertur. *t. t. ff. und. vir. & ux.* Jure tamen novo etiam cum liberis conjuges admittuntur; & quidem in quartam hereditatis partem, si liberi fuerint tres aut pauciores, sin vero plures, in portionem virilem, *Nov. 117. cap. 7.*

cap. 7. Requiritur autem, ut matrimonium sit indotatum, defunctus dives, & superstes inops. *Nov. 53. in fin.*

§. 14. Si cognati & conjuges deficiant, defertur interdum hereditas certis Collegiis, e. gr. hereditas militis legioni, Decurionis Curiæ &c. Sin vero ne tale collegium adsit, tandem fiscus bona vacantia occupat; & in Saxonia quidem Magistratus, qui merum imperium habet; is enim hoc in passu jure fisci gaudet.

§. 15. Cum statuta circa successionis materiam varia sint, & Jura Provincialia, notandum est, quod in mobilibus, quippe quæ offibus personæ inhærere censentur, spectanda sint jura loci domicilii. In immobilibus autem, quo & res incorporales referuntur, jura loci, ubi defunctus domicilium habuit, non ubi mortuus est.

Lib. XXXIX. Tit. I.

De

NOVI OPERIS NVNCIATIONE.

§. 1.

NOvi operis nunciatio est prohibitio novum opus in alterius præjudicium paranti ad id facta, ne in eo pergat, donec de illius jure constet.

stet. Fitque vel publice per Magistratum, vel privata autoritate, idque vel realiter, v. gr. jactu lapilli, vel verbaliter, in privata novi operis nunciatione. Hodie Notarii cum testibus adhiberi solent.

§. 2. Nunciare possunt novum opus omnes, qui habent jus in re; *l. 1. §. 19. h. t.* ut (1) dominus, licet minus plenus, & fictus tantum, qualis est bonæ fidei possessor, & partialis; (2) creditor hypothecarius, *l. 9. h. t.* (3) qui servitutem in fundo habet, *l. 6. ff. Si serv. vind.* Qui vero jus ad rem tantum habet, nunciare nequit, *l. 3. §. 3. h. t.* nisi forte dominus absens sit, *l. 1. C. Si per vim.* alioquin facta nunciatio ipso jure nulla est, omnique effectu destituitur. *l. 2. h. t.*

§. 3. Ut huic nunciationi locus sit, requiritur, ut novum opus inchoatum sit, ex quo damnum alteri inferri possit, sive in urbe, sive in pagis *l. 1. §. 14. h. t.*

§. 4. Nunciatione legitime facta, nunciatus statim desinere, nec ulterius ædificare debet, alias datur Edictum restitutorium, seu demolitorium, ut nunciatus omnia, quæ postea ædificata sunt, propriis sumtibus destruat. *l. 22. h. t.*

§. 5. Si nunciatus satisdare velit de ædificio destruendo, si appareat, sibi jus non esse ædificandi, regulariter cautio admittenda est arbitrio Judi-

Judicis; *l. 8. §. 3. l. 20. §. 9. h. t.* add. *l. un. C. h. t.* Sin autem post præceptum demolitorium ædificare perrexit nunciatus, simpliciter demoliri ea, quæ ædificata sunt, tenetur, nec cautioni locus est.

Tit. II.

De

DAMNO INFECTO, ET DE SVGGRVNDIIS ET PROTECTIONIBVS.

§. 1.

QVando damnum futurum per læsionem & corruptionem rei metuitur, exigi potest cautio de damno infecto, si forte contigerit, præstando & resarciendo; qua securus quis redditur.

§. 2. Si cavere jussus cautionem non præstet, Prætor eos, quibus cautio fuit præstanda, in possessionem rei, cujus causa præstanda fuit, ex primo decreto mittit. *l. 4. §. 2. & 3. l. 15. §. 12. h. t.* Effectus est, quod ita missus consequatur jus in re, scilicet pignus Prætorium. *l. 6. de Pignorat. act.*

§. 3. Si facta missione ex primo decreto cavere jussus tamen non caveat, Prætor post aliquod intervallum ex secundo decreto in possessionem mittit. *l. 5. §. 16. h. t.* Effectus est, quod ita

ita missus possideat civiliter & animo domini, *l. 15. §. 33. h. t.* indeque dominum statim impellere, *l. 15. §. 13. h. t.* & rem contra tertium possessorem vindicare possit. *l. 7. §. 9. Comm. divid.*

§. 4. Si missum a Prætore adversarius non admiserit, datur adversus ipsum & heredes actio in factum ad id, quod cautione præstita reus præstare debuisset. *l. 15. §. 37. h. t.*

Tit. III.

De AQVA ET AQVA PLUVIA ARCENDA.

SI veremur damnum ex aqua pluvia, propter opus ab altero factum, ad id avertendum, &, si jam factum est, restituendum, datur actio pluviæ arcendæ, *t. h. t.*

Tit. IV.

De PVBLICANIS ET VECTIGALIBVS ET COMMISSIS.

§. 1.

SI damnum a publicanis, h. e. conductoribus vectigalium aliorumque publicorum redituum datum sit, ad illud vindicandum datur actio ex Edicto Prætoris. *l. 1. h. t.*

§. 2. Distingvendum vero hic est, an damnum datum sit per furtum, rapinam, aut injuriam

riam, & tum datur hæc actio intra annum in duplum, post annum vero in simplum, *l. 1. pr. h. t.* an vero per illicitam exactionem, & tum, si violenta fuerit, datur in quadruplum, *l. 9. §. 9.* sin vero non violenta, datur in duplum. *cit. l. 9. §. 5. h. t.*

§. 3. Concurrit cum hoc remedio actio furti, vi bonorum raptorum, L. Aquiliæ, sed elective, *l. 1. §. 4. h. t.* Potest etiam publicanus ob hujusmodi delictum admissum extra ordinem puniri. *l. 9. §. 5. h. t.*

§. 4. Vectigal est pensio, quæ pro invectione & evectione mercium in itinere, vel pontibus, solvitur. *l. 3. C. h. t.*

§. 5. Facultas imponendi vectigal est penes eum, qui Majestatem habet & curam viarum, *l. 10. pr. h. t. l. 3. C. Vectig. nov. instit. non poss.* hodie penes Imperatorem & Status.

§. 6. Vectigal regulariter ab omnibus solvendum est. Excipitur (1) fiscus, *l. 9. §. ult. h. t.* & hodie personæ illustres ratione victus & cultus. (2) Navicularii, qui publicæ annonæ causa res invehunt. *l. 6. C. h. t.* (3) Officiales Principum; *Const. Imp. de Anno 1500. §. Item* sollen. *& de Anno 1521. §. Item* sollen auch (4) Ecclesiæ & personæ Ecclesiasticæ; *cap. 6. de Cens. in 6.* (5) Professores, Doctores, & Studiosi; *Auth. Habita. C. Ne fil. pro patr.* Ad viarum tamen & pontium conservationem, quod destinatum est, vectigal etiam hi solvere tenentur.

§. 7. Olim solvebatur loco vectigalis octava pars rerum, *l. 7. & 8. C. h. t.* Hodie secundum cujusque loci privilegium & consuetudinem. *l. 4. §. 2. h. t.*

§. 8. Commissa dicuntur, quæ ob vectigalium defraudationem prioribus dominis ademta, & fisco acquisita sunt, *l. 11. 14. C. h. t.* Non aliter vero bona in commissum cadunt, quam si dolo malo vectigal haud solutum sit; unde hanc pœnam non incurrunt (1) ignorantes, qui tamen duplum in pœnam negligentiæ solvere tenentur; *l. 16. §. 10. & 11. h. t.* (2) qui propter tempestatem solvere non possunt, *l. 16. §. 8. h. t.* Sufficit autem ad pœnam hanc declinandam professio mercium, licet vectigal solutum haud sit. *l. 16. §. 12. h. t.*

§. 9. Cadunt in commissum res defraudatoris propriæ; non ergo res domini, quarum nomine nauta vel auriga vectigal non solvit, sed tantum hujus navis, aut equi. Arg. *l. 8. §. 1. l. 11. §. 2. h. t.*

§. 10. Ad rem commissam persequendam datur fisco rei vindicatio contra quemvis possessorem. *l. 23. de Rei vind. l. 14. h. t.* Præscribitur quinque annis. *l. 2. C. de Vectig. & commiss.*

§. 11. Si vectigal solutum sit, dominus territorialis damnum a latronibus datum resarcire tenetur, sive transvehentes expressum Salvum conductum impetraverint, sive non; modo usi sint via regia, debito tempore, & vis latronum a domino territorii impediri potuerit.

Tit. V.

Tit. V.

De DONATIONIBVS.

§. 1.

Donatio in genere est actus, quo aliquid in alterum acceptantem ex mera liberalitate confertur. Estque vel mortis causa, vel inter vivos. De posteriori in hoc titulo agitur. Dicitur autem donatio inter vivos gratuita alicujus rei collatio, ex liberalitate in alterum acceptantem animo nunquam revocandi facta. *l. 35. C. de Donation.*

§. 2. Donatio hæc est pactum legitimum; nam a Lege ad effectum producendi actionem confirmatum est; quia vero peculiaris actio prodita non est, datur condictio ex *cit. l. 35. §. ult. C. de Donation.*

§. 3. Quatenus donatio hæc quingentos solidos excedit, Actis insinuanda est. *§. 2. I. de Donation.* Solidus autem hodie ut plurimum pro Ducato accipitur. *Carpz. P. 2. Const. 12. def. 12.* Est autem hæc insinuatio actus voluntariæ jurisdictionis, adeoque etiam coram judice incompetente fieri potest; *l. 27. l. 30. C. eod* In nonnullis tamen casibus etiam absque insinuatione valet, quos vide apud *Lauterb. h. t. p. 557.*

§. 4. Si omnia bona donata sint, haud contineri intelliguntur futura. arg. *l. 22. de Donation.*

§. 5. Donatio hæc inter vivos regulariter revocari nequit, *l. 5. C. de Oblig. & Action.* Revocatur tamen aliquando vel ex parte, vel in totum; ex parte, quatenus inofficiosa est, seu læsionem in legitima continet; in totum vero propter ingratitudinem donatarii. Causæ ingratitudinis recensentur in *l. ult. C. de Revoc. donation.* Quæ actio revocatoria tamen, cum ad vindictam tendat, ad heredes donatoris non aliter transit, quam si a defuncto præparata fuerit, *l. ult. in fin. C. de Donation.* Sicuti nec contra donatarii heredes datur, cum sit ex delicto, *l. 22. C. de pœn.* nisi post litem cum defuncto contestatam, arg. *l. 7. §. 11. de pecul.*

§. 6. Denique revocatur ob supervenientiam liberorum donatio majoris momenti, cum donator, qui liberos non habet, sub conditione donasse censeatur. *l. 8. C. de Revoc. donation.*

Tit. VI.

De MORTIS CAVSA DONATIONIBVS ET CAPIONIBVS.

§. 1.

MOrtis causa donatio, die Schenckung auff den Todes-Fall, est, qua quis in casum mortis suæ rem in alium consentientem confert. *l. 1. h. t.*

§. 2.

§. 2. Donatio hæc fit vel publice, coram Principe, aut Actis, ac nullis testibus opus habet; vel privatim, coram quinque testibus, *l. ult. C. h. t.* Locus tamen etiam hic est *l. ult. C. de Fideicomm.*

§. 3. Perficitur donatio hæc solo consensu donantis & donatarii, & quidem vel cum, vel sine traditione rei; posteriori hoc casu non nisi spem incerti lucri donatarius consequitur; priori vero ipsum dominium, sed tantum revocabile. *l. 2. l. 29. h. t.*

§. 4. Confirmatur & irrevocabilis fit donatio hæc morte donantis; tunc enim dominium irrevocabiliter in donatarium transit, etiam ante traditionem, *l. ult. C. h. t.* modo species sit donata, non quantitas aut genus.

§. 5. Exspirat donatio mortis causa (1) liberatione a periculo, cujus intuitu facta est, §. *1. I. de Donat.* (2) morte donatarii ante mortem donantis; subest enim tacita conditio, *si donatarius supervixerit:* (3) sola pœnitentia, verbis, literis, aut facto declarata. *cit. §. 1.* Add. *l. 4. ff. de Adim. vel transfer. legat.*

Lib. XL.

HUjus libri hodie nullus est usus

Lib. XLI. Tit. I.

De
ACQVIRENDO RERVM DOMINIO.

§. 1.

DOminium stricte dictum est jus de re corporali & singulari perfecte disponendi, eamve vindicandi, nisi Lex vel conventio obstet.

§. 2. Modi acquirendi dominium sunt vel juris gentium seu naturales, vel Juris Civ. Prioris generis tres sunt: occupatio, accessio, qui duo originarii dicuntur, & traditio, qui modus derivativus est.

§. 3. Occupatio est apprehensio rerum, quæ actu nullius sunt, fieri tamen alicujus possunt, animo dominii facta, arg. *l. 55. de Obl. & act.* Ejus tres species sunt: venatio, occupatio bellica, & inventio.

§. 4. Accessio est vel Naturalis, vel Artificialis, seu industrialis, vel fortuita. Ad accessionem naturalem fœtura animalium, alluvio & insulæ productio pertinent. Accessionis artificialis autem species sunt: specificatio, adjunctio, inædificatio, plantatio, satio, scriptura & pictura. Fortuita per thesauri inventionem contingit.

§. 5.

§. 5. Traditio est actus, quo res ex justa causa in alium accipientem transfertur. Estque vel vera, quæ fit actu corporali; vel ficta, quæ fit juris intellectu; hæc rursus fit vel brevi, vel longa manu. Traditionis, quæ brevi manu fit, exemplum est in constituto possessorio.

§. 6. Veræ traditioni locus est in rebus corporalibus, fictæ autem in incorporalibus; quippe quæ patientia & usu quasi tradi intelliguntur, *l. 3. ff. de Usufr. l. ult. de Servit.* Interdum etiam traditio fit Symbolo, v. gr. traditis clavibus, unde Symbolica audit.

§. 7. Loco domini habetur etiam bonæ fidei possessor; unde hic omnes fructus percipiendo suos facit, sed revocabiliter, consumendo autem, irrevocabiliter, §. *36. I. h. t. l. 40. h. t.* etiam hodie, adeo, ut ne quidem domino supervenienti teneatur, in quantum locupletior factus; cum dispositio Juris Civilis hoc in passu moribus Germaniæ sublata haud sit.

Tit. II.

De
ACQVIRENDA VEL AMITTENDA POSSESSIONE.

§. 1.

Possessio in lato sensu nudam detentionem significat, quando scilicet quis alieno nomine in possessione est, v. gr. depositarius & conductor.

ductor. In sensu stricto autem est detentio rei cum animo sibi habendi.

§. 2. Possessio facti est, adeoque sine corporali apprehensione acquiri non potest. *l. 1. §. 3. l. 12. §. 2. de Captiv. & postlim. reverf.* Unde quamvis interdum dominium sine traditione transeat, *l. 80. de Legat. 2.* Possessio tamen sine actu corporali transferri non solet. Neque tamen dubito, quin peculiari Lege aut moribus introduci queat, ut etiam possessio sine actu corporali transeat.

§. 3. Ex jure possessionis dantur Interdicta, quæ sunt vel adipiscendæ possessionis, v. gr. *Quorum bonorum*, vel retinendæ, *Uti possidetis* & *Utrubi*, vel recuperandæ possessionis, ut Interdictum *Unde vi*.

§. 4. Commodum possessionis præcipuum in eo consistit, quod possessor tamdiu defendendus sit in possessione, donec alius in petitorio jus potius sibi competere probaverit. Unde titulum possessionis suæ regulariter nemo edere tenetur, *l. ult. h. t.* nisi forte lis sit cum Principe, v. gr. super jure venandi, immunitate ab oneribus publicis &c. Tali enim casu ob vehementem præsumtionem, quæ contra possessorem militat, possessionis nulla ratio habetur. Et de possessorio quidem summariissimo seu momentaneo res expedita est. Ordinarium vero possessorium, ac imprimis decennali possessione subnixum, aliqui Dd. admittunt.

§. 5.

§. 5. Præterea possessio immobilium immunitatem a cautione pro reconventione & expensis præstanda tribuit. *l. 15. ff. Qui satisdar. cog.*

§. 6. Interdum evenit, ut quis in possessione sua impediatur, quæ turbatio dicitur; cujus intuitu remedia retinendæ possessionis comparata sunt. A turbatione differt amissio possessionis, quæ fit (1) morte possessoris, nam in heredes ipso jure non transit, *l. 1. §. 15. Si is, qui testam. lib. esse. juss. est.* nisi & ipse apprehendat; *l. 23. h. t.* (2) vivente possessore, si animo & corpore amittat. Interdum tamen possessio amittitur etiam solo animo, si nempe quis in possessione quidem maneat, sed animum sibi habendi dimittat, v. gr. in constituto possessorio; vel etiam solo corpore, si quis præter intentionem suam de possessione dejiciatur.

Tit. III.

De
VSVCAPIONIBVS ET VSVRPATIONIBVS.

§. 1.

VSucapio, quæ hodie a longi temporis præscriptione in effectu non differt, *l. un. C. de Usucap. transform.* est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. *pr. I. de Usucap. l. 3. h. t.*

§. 2. Requisita usucapionis sunt (1) bona fides; (2) Justus titulus; (3) Res non vitiosa; (4) Traditio; (5) temporis continuatio.

§. 3. Bona fides, quæ opinio est, qua quis credit, rem esse suam, vel sui autoris, Jure Civili nonnisi tempore traditionis, adeoque ab initio necessaria est, *l. 15. §. ult. l. 44. §. 2. h. t.* nisi quod in emtione venditione etiam tempore contractus requiratur, *l. penult. h. t.* Jure Canonico autem & moribus hodiernis toto tempore usucapionis necessaria est. *cap. ult. X. de Præscript.*

§. 4. Justus titulus seu habilis ad transferendum dominium etiam in præscriptione jurium, e. gr. servitutum, requiritur; si scilicet contra dominum ignorantem fiat; alias enim scientia & patientia domini est loco tituli. *l. 10. pr. Si serv. vind.*

§ 5. Ob vitium sibi inhærens usucapi non possunt res furtivæ & vi possessæ. §. 2. *I. de Usucap. l. 4. §. 23. h. t.* Nisi vitium sit purgatum h. e. res in potestatem veri domini redierit, *l. 4. §. 6. h. t.*

§. 6. Præterea ob singularem favorem ab usucapione exemtæ sunt (1) res pupillares; *l. 48. de Acquir. rer. domin.* (2) res minorum; *l. ult. C. In quib. caus. in integr. restit. necessar. non est.* (3) fisci, §. 4. *I. eod.* (4) res civitatum; *l. 9. h. t.* (5) Ecclesiæ. *l. 31. h. t.*

§. 7.

§. 7. Possessio Antecessoris prodest etiam successori, & quidem Jure Civili, licet universalis successor sit in mala fide, modo defunctus in bona fide fuerit. §. 7. *I. h. t.* Singulari autem successori possessio Antecessoris non aliter prodest, quam si & ipse in bona sit. *l. 2. §. 17. pro Emt.*

§. 8. Tempus usucapioni complendæ definitum Jure Civili in mobilibus triennium est, in immobilibus inter præsentes decennium, inter absentes vicennium. *pr. I. h. t.* Jure Saxonico autem in mobilibus annus, sex septimanæ, & tres dies, in immobilibus 31. anni, sex septimanæ, & tres dies.

§. 9. Interrumpitur cœpta usucapio per usurpationem, quæ dividitur in naturalem & civilem. Illa contingit per actualem possessionis interruptionem; hæc vero per litem possessori de re usucapienda motam, *l. 10. C. de Acquir. vel amitt. possess.* ubi sufficit hodie sola citatio. Extrajudicialis autem denunciatio regulariter non sufficit, nisi quis possessorem de justitia petitionis suæ liquido convincere possit.

§. 10. Lis mota non aliter præscriptionem interrumpit, quam si possessor condemnatus sit; non vero si absolutus fuerit.

§. 11. Longissimi temporis præscriptio est vel 30. vel 40. annorum. Triginta annis acquiruntur (1) res sine titulo possessæ; (2) minorum; (3) res

res vitiosæ a bonæ fidei possessore. Quadraginta annis vero usucapiuntur res patrimoniales Principis, fiscales, res immobiles ecclesiasticæ, aliorumve piorum locorum, nec non civitatum.

§. 12. Datur etiam præscriptio centum annorum, nec non immemorialis. Illa pertinet ad res Romanæ Ecclesiæ, *cap. 14. X. de Præscript.* hæc vero ad Regalia, omniaque illa, quæ aliter præscribi non possunt. Æstimanda vero est immemorialis præscriptio ex eo, si nullum plane initium ejus reperiri possit; non vero quod hominis memoriam excedat.

Tit. IV.

PRO SOLVTO.

DAtio in solutum justus titulus est, adeoque res soluta usucapi potest, sive debitum verum, sive putativum sit, modo tradens & accipiens debitum subesse crediderint. *l. 3. h. t.*

Tit. V.

PRO EMTORE.

HOc titulo usucapit is, qui pure, aut sub conditione resolutiva emit, *l. 2. §. 3. h. t.* Secus est, si emtio sub conditione suspensiva sit facta; hæc enim non tribuit titulum, antequam conditio existat. *l. 2. §. 2. h. t.*

Tit. VI.

Tit. VI.

PRO HERede.

TItulus pro herede non aliter justus & ad usucapiendum habilis esse intelligitur, quam si res in hereditate reperta penes defunctum justo titulo fuerit. Hereditas enim successio est in Jus defuncti. *l. 62. de R. J.* Quicquid ergo defunctus usucapere non potuit, illud nec heres usucapere potest. Unde etiam simplex titulus pro herede nullo speciali titulo defuncti subnixus in actione Publiciana haud sufficit.

Tit. VII.

PRO DONATO.

HOc titulo usucapitur a donatario res aliena ipsi donata, *l. 1. ff. h. t.* modo donatio vera, eademque valida intervenerit. *l. 1. C. h. t.*

Tit. VIII.

PRO DERELICTO.

SI verus dominus rem animo derelinquendi abjiciat, statim occupanti cedit, nec usucapione opus est; sed si non dominus rem pro derelicta habeat, illa ab occupante usucapi potest. *l. 4. C. h. t.*

Tit.

Tit. IX.

PRO LEGATO.

SI res aliena alicui legata sit, legatarius ejus possessionem legitime & bona fide nactus eandem usucapit. *l. 2. 7. h. t. l. 1. ff. eod.*

Tit. X.

PRO DOTE.

§. 1.

SI uxor rem alienam, quam justo titulo & bona fide accepit, in dotem dederit, secuto matrimonio, maritus eandem titulo pro dote usucapit. *l. 1. ff. h. t.*

§. 2. Si res aliena ante nuptias in dotem data sit æstimato venditionis causa, ita, ut statim accipientis fieret, hic eandem titulo pro suo usucapit, vel etiam titulo pro emptore; æstimatio enim venditionem facit. *l. 10. ff. de Jur. dot.*

Tit. XI.

PRO SUO.

TItulus pro suo vel generalis est, qui cum omni alio titulo concurrit, vel specialis, cui locus est eo casu, quo inter titulum & modum acquirendi dominii distingui non potest, v. gr. si quis rem ab alio in litore maris amissam, tanquam nullius, occupet, nullo alio eandem titulo usucapere potest, quam pro suo.

Tit.

Lib. XLII. Tit. I.

De

RE JVDICATA ET DE EFFECTV SENTENTIARVM ET INTERLOCVTIONIBVS.

§. 1.

SEntentia est vel Interlocutoria, vel Definitiva. Illa causam incidentem, hæc principalem definit. Interlocutoria rursus est vel simplex, quæ causam principalem non tangit, vel mixta, quæ ipsi causæ principali præjudicium facit, v. gr. si Judex juramentum suppletorium vel purgatorium deferat, hoc enim præstito, ipsa causa principalis decisa esse intelligitur.

§. 2. Sententia inter solos litigantes Jus facit, tertio autem nequaquam præjudicat, cum semper stricte accipienda sit. *l. 63. h. t.*

§. 3. Si reus ipse litigaverit, in ejus personam sententia fertur; Sin vero per Procuratorem se defenderit, Jure Civili in hunc fertur sententia post litem contestatam; tunc enim Procurator litis dominus fieri intelligitur. Quod litis dominium cum hodie majori ex parte exoleverit, sententia non amplius in Procuratorem, sed in principalem ferri solet. In Saxonia distingui solet inter sententiam definitivam, & interlocutoriam; hæc in Procuratorem fertur, indeque ejus

ejus mentio in ipso ingressu sententiæ fit; definitiva autem in ipsum principalem dirigitur, sive condemnatoria, sive absolutoria sit.

§. 4. Sententia conformis sit libello; complecti tamen debet etiam ea, quæ non quidem expresse, sed tamen per consequentiam in judicium deducta sunt. Sic Judex ex officio etiam adjudicare potest fructus post litem contestatam perceptos; non vero eos, qui ante litis contestationem percepti sunt, nisi speciatim petiti fuerint. *l. 25. §. 8. de Ædil. Edict.*

§. 5. Amplius sententia secundum Jus lata esse debet; nam si sit contra Jus in thesi, ipso Jure nulla est, adeoque Jure Civili perpetuo impugnari potest; quod secus est, si tantum contra Jus in hypothesi; tunc enim intra decendium impugnanda venit. *l. 1. §. 2. quæ sent. sin. appell. L. 2. Quand. provoc. non est necess.*

§. 6. Post decendium, a tempore publicationis elapsum, sententia regulariter in rem judicatam transit, cujus tanta vis est, ut ex albo nigrum, e nigro album facere dicatur. Rescinditur tamen res judicata, si (1) contra utilitatem publicam lata sit; *l. 35. h. t. l. 3. C. de Jur. Reip.* (2) si contra rem judicatam priorem sit; *l. 1. C. quand. prov. non est necess.* (3) si sententia ex falsa causa lata sit, aut instrumenta ab adversario dolo malo occultata fuerint. arg. *l. 19. C. de Transaction.*

§. 7.

§. 7. Ex re judicata oritur actio vel exceptio rei judicatæ, quæ datur adversus condemnatum ejusque successorem ad præstandum id, quod re judicata continetur. Exigi etiam possunt usuræ centesimæ. *l. penult. ff. Depos.*

Tit. II.

De CONFESSIS.

§. 1.

Confessio est vel vera, vel ficta. Illa verbis vel literis declaratur, hæc autem ex ipso facto elicitur, v. gr. si quis contumax pro confesso & convicto habeatur. Sola autem fuga neminem confessum facit; gravat tamen reum, & pro re nata ac circumstantiarum gravitate torturæ locum facit. Hoc tamen merito limitatur in casu, quo fuga post carcerem, vel certe eo tempore arrepta est, quo se investigari, ut carceri mancipetur, aliquis intellexit; cum enim melius sit extra carcerem, quam in carcere respondere, etiam innocens, si certo sciat, ad carcerem se peti, satius ducet, eundem fuga declinare, ac impetrato deinceps salvo conductu innocentiam suam deducere; ut hinc tali casu ex sola fuga prope nulla suspicio oriri possit.

§. 2. In causis civilibus confessio judicialis plenam probationem absolvit. *l. 74. ff. de Judic.* Eandem probandi vim habet etiam aliquando con-

fessio extrajudicialis; modo fiat adversario præsente & acceptante, & causa debendi exprimatur. *l. 25. §. ult. de Probation. cap. ult. X. de Fid. instrum.*

§. 3. In Criminalibus confessio itidem plene probat, ob eam solam tamen ad ultimum supplicium perveniri nequit, sed simul de corpore delicti constare debet, *l. 5. de Custod. reor. l. 1. §. ult. de Quæstion.* quod in delictis facti transeuntis etiam ex conjecturis & indiciis elicitur, sin autem plane corpus delicti deficiat, pœna extraordinaria, v. g. fustigationis aut relegationis dictatur.

§. 4. Si confessio extra judicium facta sit, in criminalibus plene haud probat, sed tantum judicium facit, quod pro varietate circumstantiarum interdum ad torturam sufficit, interdum vero tantum ad effectum purgatorii gravat.

Tit. III.

De CESSIONE BONORVM.

§. 1.

BEneficium cessionis bonorum, quod flebile dicitur, *l. 7. & 8. C. h. t.* est, quo debitor omnia sua bona creditoribus relinquendo a carceris molestia liberatur. Requiritur autem, ut non dolo bonis lapsus sit; dolosi enim decoctores beneficio juris indigni sunt. *l. 1. C. h. t.*

§. 2.

§. 2. Tenetur vero debitor hoc beneficio usurus cautionem promissoriam, vel juratoriam præstare, de reliquis debitis, si ad meliorem fortunam pervenerit, itidem solvendis, *cap. Odoardus X. de Solution.* Habet tamen cedens in bonis postea acquisitis quoad priores creditores beneficium competentiæ. *l. 4. h. t. §. ult. I. de Act.*

§. 3. Qui bonis cedit, non fit infamis. *l. 11. C. Ex quib. cauſ. infam. irrog.* Nonnullis tamen in locis hodie actus, quo cessio bonorum fit, ignominiosus habetur.

Tit. IV.

QVIBVS EX CAVSIS IN POSSESSIONEM EATVR.

§. 1.

AGitur hoc loco de missione ex primo decreto Prætoris, quod est actus, quo creditores decreto Prætoris in possessionem bonorum debitoris ad res custodiendas & pignoris jure servandas inducuntur. Finis ejus est, ut reus tædio affectus veniat ac respondeat. *l. 1. & 12. in fin. h. t. germ.* der Einsatz aus dem ersten Erkäntniß.

§. 2. Fit hæc missio in bona debitoris omnia, etiamsi non jure dominii ad ipsum pertineant; non vero in illa etiam, in quibus nullum jus debitor habet, v. gr. commodata, deposita, *l. 5. §. 7. Ut in possess. legat.* In causa tamen damni

mni infecti missio fit tantum in rem singularem. *l. 1. h. t.* Hodie etiam creditores nonnisi in partem bonorum pro quantitate debiti mittuntur, *Nov. 53. cap. 4. §. 1.* Et primo quidem in res mobiles, deinde in immobiles, denique in jura & actiones, juxta *l. 15. ff. de Re jud.*

§. 3. Missus ex primo decreto sit nudus detentor, non verus possessor. *l. 3. §. ult. h. t.* Consequitur tamen jus in re seu pignus Prætorium, *l. 26. de Pignor. act. t. t. C. de Pign. præt.* Fructus autem consumere nequit; quamvis forte in sortem eosdem imputare velit. *l. 5. §. 12. Ut in poss. legat.*

§. 4. Decretum hoc tollitur, si contumax ante secundum decretum compareat, & cautionem præstet, regulariter fidejussoriam, *Nov. 53. cap. 4. §. 1.* in subsidium etiam juratoriam vel pignoratitiam. *Auth. generaliter C. de Episc. & Cleric.* similiter expensæ misso restituendæ sunt; *l. 4. §. 3. C. de Præscript. trig. ann. l. 9. §. 2. de ant. jud. possid.* Ex adverso missus damnum dolo & lata culpa datum refundere tenetur. *l. 9. §. 5. de Reb. aut. jud. poss.*

Tit. V. & VI.

De

REBVS AVTORITATE JVDICIS POSSIDENDIS,

&

De

De SEPARATIONIBVS.

§. 1.

SI debitor, non obstante missione ex primo decreto facta, latitet, ob continuatam hanc ejus contumaciam missio ex secundo decreto fit, *l. 15. §. 21. de Damn. infect.* adeoque prævia causæ cognitione *l 9 C. h. t.*

§. 2. Effectus est, quod ita missus verus possessor fiat; præterea in missione de damno infecto consequitur dominium. *l. 17. §. 16. l. 33. de Damn. infect.* Quoad alias causas distinguendum, an sint reales, an personales; in realibus transit vera possessio, salvo tamen debitori petitorio, *cap. ult. X. Ut lit. contest.* in personalibus, si certa quantitas petatur, possessio ita in creditorem transfertur, ut rem vendere, & ex pretio sibi satisfacere possit. *l. 7 § 1. & seqq. h. t.* Sin autem certa species, v. gr. actione emti, petatur, possessio ita transfertur, ut actor rem retinere possit.

§. 3. In Saxonia specialis modus adversus contumaces procedendi in usu est. Nam, si reus cum rite citatus & integer terminus Saxonicus eidem concessus fuerit, contumax sit, usque ad legitima impedimenta condemnatur, biß auff Ehehafften und behelffliche Wiederrede, deinde si legitima impedimenta probare non pos-

sit, condemnatio fit usque ad executionem, biß auff die Hülffe, secundum petita libelli. Quamvis idem modus non adeo frequenter hodie in foro adhiberi soleat, sed plerumque actores, ubi rei emanserint, eosdem tantum sub pœna confessi & convicti refusis expensis citari petant.

§. 4. Videndum nunc de privilegiis creditorum; ubi notandum, quod extra concursum, adeoque jure separationis dominis res, quæ adhuc extant, restituendæ sint, v. gr. deponenti, commodanti &c.

§. 5. In ipso autem concursu quinque classes creditorum vulgo formantur, de quibus vid. *Lauterb. h. t. p. 586. seqq.*

Tit. VII.

De CVRATORE BONIS DANDO.

§. 1.

CUrator bonorum est, cui administratio bonorum debitoris mortui vel absentis commissa.

§. 2. Curator bonorum in concursu creditorum potest etiam unus ex ipsis creditoribus esse, *l. 2. §. 4. h. t. l. 9. Ex quib. cauf. maj.* quod in curatore litis secus est. Ratio diversitatis in hoc consistit, quod curator litis creditoribus respondere teneatur, nemo vero sibi ipse respondere possit; Curator bonorum autem tantum massam hereditatis administret; quod perinde a creditore, quam ab alio, fieri potest.

§. 3.

§. 2. Datur adversus curatorem bonorum pro diversitate casuum nunc negotiorum gestorum nunc mandati actio.

Tit. VIII.

QVÆ IN FRAVDEM CREDITORVM FACTA SVNT, VT RESTITVANTVR.

§. 1.

SI debitor in fraudem creditorum bona sua alienaverit, eadem per creditores a possessoribus revocari queunt, per actionem Paulianam, a Paulo Prætore sic dictam, *l. 1. §. 1. h. t.* Fundamentum ejus videtur esse fictum dominium, quod penes debitorem mansisse, ortoque concursu in creditores translatum intelligitur. §. *6. I. de Action.*

§. 2. Distingvendum autem est, an possessores ex causa lucrativa a debitore bona acceperint, an onerosa; priori casu actioni Paulianæ locus est, sive possessor fraudis particeps fuerit, sive non; posteriori autem casu non aliter, quam si ipse quoque in dolo sit. *l. 6. §. 8. & 11. h. t.*

§. 3. Non autem censetur debitor in fraudem creditorum alienasse, quando acquisitionem alicujus lucri omisit. Unde Jure Civili actio Pauliana cessat, si debitor hereditatem repudiaverit, sive deferendam, sive jam delatam. *l. 5. pr. h. t.*

§. 4. Præscribitur hunc actioni anno, post bona debitoris excussa computando; prius enim in judicium deduci nequit; non valenti autem agere non currere præscriptionem, notissimi juris est, *l. 1. l. 6. §. ult. h. t.* quatenus vero tendit hæc actio tantum ad id præstandum, quod ad possessorem pervenit, est perpetua. *l. 10. §. 24. ff. h. t.*

Lib. XLIII. Tit. I.

De

INTERDICTIS, SIVE EXTRAORDINARIIS ACTIONIBVS, QVÆ PRO HIS COMPETVNT.

§. 1.

INterdicta erant olim præcepta Prætorum, quibus aliquid fieri jubebant, vel vetabant. Jure novo sunt actiones extraordinariæ, quæ maxime de possessione vel quasi competunt.

§. 2. Dividuntur in primis a fine in interdicta adipiscendæ, retinendæ & recuperandæ possessionis; item ratione modi procedendi in ordinaria & summaria, seu summariissima, ubi solum possessionis factum attenditur, non antiquitas aut justitia possessionis.

§. 3. Si quis petitorium instituerit, illud rursus

sus dimittere, ac possessorium instituere potest; modo id fiat ante causæ conclusionem & sententiam. Instituto autem solo possessorio Judex de proprietate judicare nequit, nisi justitia petitorii sit in continenti liquida; quod tamen raro contingit.

§. 4. Remedia possessoria Jure Civili cum petitorio cumulari non possunt. Jure Canonico & hodie possunt. Excipiunt tamen Dd. communiter interdicta retinendæ possessionis ob contrarietatem, quæ subest.

Tit. II.
QVORVM BONORVM.

§. 1.

INterdictum quorum bonorum directo datur bonorum possessoribus, utiliter etiam heredi, contra eos, qui res hereditarias pro herede, vel pro possessore possident, ad earum possessionem consequendam.

§. 2. Datur hoc interdictum per triginta annos, arg. *l. 3. C. de Trig. vel quadrag. ann. præscr.* & eliditur per exceptionem dominii; quia dominus pro herede aut pro possessore non possidet.

§. 3. Pertinet huc etiam Remedium *l. ult. C. de Edict. D. Hadrian. toll.* quo heres scriptus, qui nititur testamento, quod nullo visibili vitio

laborat, se in possessionem rerum hereditariarum a Judice competente mitti petit.

Tit. III.

QVOD LEGATORVM.

INterdictum quod legatorum competit heredi adversus eos, qui res hereditarias legati vel fideicommissi nomine propria autoritate occuparunt, ad earum possessionem consequendam. Tenetur tamen heres prius cautionem præstare de rebus illis, detracta quarta Falcidia, restituendis.

Tit. IV.

NE VIS FIAT EI, QVI IN POSSESSIONEM MISSVS ERIT.

SI missus ex primo Decreto Prætoris non admittatur, aut turbetur, aut etiam dejectus sit dolo malo, datur hoc interdictum prohibitorium ad interesse.

Tit. V.

De TABVLIS EXHIBENDIS.

§. 1.

EX hoc interdicto datur actio in factum omnibus, quorum interest, ad hoc, ut tabulæ ultimæ voluntatis defuncti exhibeantur, quo apprehendi, legi, & describi possint.

§. 2.

§. 2. Sequentes Tituli sola inscriptione sua satis explicantur.

Tit. XVI.

De VI ET VI ARMATA.

§. 1.

EX interdicto de vi & vi armata datur actio personalis ei, qui de possessione rerum immobilium per vim dejectus est, contra dejiciendum, non etiam heredes, ad recuperandam possessionem cum omni causa & interesse.

§. 2. Spoliatus ante omnia restituendus est, *l. 6. & 7. C. h. t. Cap. 5. X. de Restit. spoliator.* etiam quoad fructus percipiendos, & actor ad juramentum in litem admittitur. Quo refertur etiam remedium *l. 13. Quod met. caus. & l. 7. C. Und. vi.* quod D. Marcus Edicto proposuit.

§. 3. Simile huic est remedium *Can. Redintegranda. caus. 3. qv. 1.* quod datur spoliato ad rem restituendam; quod ad omnes res & personas sine distinctione a Dd. extendi solet.

Tit. XVII.

VTI POSSIDETIS.

§. 1.

EX interdicto uti possidetis datur actio in factum hodie possessori immobilium contra turbantem ad retinendam conservandamque possessionem, *l. 1. §. 1. & 4. h. t.* Est hoc interdictum duplex; uterque enim simul actor & reus esse potest: ordinis tamen causa pro actore habetur, qui prior ad judicium provocavit, aut si uterque simul provocaverit, is, quem sors elegit. *l. 13. ff. de Judic.*

§. 2. Ventilatur interdictum uti possidetis vel processu possessorio ordinario, si quis contendat, se in antiquiori & justiori possessione esse, vel summario seu summariissimo, si de possessione momentanea, seu præsentanea lis sit.

§. 3. Applicari hoc interdictum utiliter etiam solet ad res incorporales seu jura.

§. 4. Jure Civili interdicto uti possidetis non nisi is vincit, qui possessionem nec vi, nec clam, nec precario ab adversario consecutus est, *l. 1. §. ult. h. t. l. ult. ff. de Acquir. vel amitt. poss.* Moribus hodiernis autem, quando interdictum hoc in possessorio summariissimo ventilatur, hujusmodi vitii nulla ratio habetur, sed solum possessionis factum spectatur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819013587/phys_0360
DFG

Tit. XVIII.

De SVPERFICIEBVS.

§. 1.

SUperficies sumitur vel materialiter, pro re, quæ alieno solo inædificata est, vel formaliter pro ipso Jure superficiarii, quod nihil aliud est, quam utile dominium. *l. 73. de Rei vindic. l. 1. pr. & §. 3. h. t.*

§. 2. Tenetur autem superficiarius omnia onera publica ferre, sive sint ordinaria, sive extraordinaria, nec non superficiem propriis sumtibus sartam tectam servare, & solarium, den Boden-Zinß præstare.

§. 3. Si turbetur superficiarius in possessione, datur ipsi remedium tum petitorium, scilicet utilis rei vindicatio, tum possessorium, actio ex interdicto de superficiebus, ad possessionem superficiei retinendam & conservandam.

§. 4. Finitur jus superficiarii (1) interitu superficiei, (2) consolidatione, (3) temporis lapsu; si ad tempus concessum fuerit.

Tit. XIX.

De

ITINERE, ACTVQVE PRIVATO.

§. 1.

AD quasi possessionem itineris, actus & viæ retinendam datur contra turbatorem actio ex interdicto de itinere actuque privato, modo non vitiose, ad minimum per triginta dies, ab adversario quis possederit.

§. 2. Aliud etiam interdictum prohibitorium in hoc titulo proponitur, ex quo hodie actio datur quasi possessori memoratarum servitutum, cui jus est illas reficiendi, contra quemcunque impedientem, ad hoc, ut ab impedienda refectione desistat. *l. 3. §. 12. h. t.*

Tit. XX.

De

AQVA QVOTIDIANA ET ÆSTIVA.

§. 1.

PRoponuntur de Aquæductu quatuor interdicta. Primum est de aqua quotidiana. Si quis enim vel unico die aut nocte in anno ante judicium acceptum aquam ex capite, seu ubi aqua nascitur, duxerit, datur ad retinendam hujus servitutis quasi possessionem hoc interdictum contra

contra turbatorem, ut Intereſſe præſtet, & de non amplius turbando caveat.

§. 2. Alterum Interdictum eſt de aqua æſtiva, quod a priori differt ratione objecti, quod hic eſt aqua æſtiva, & ratione temporis, quod hic eſt ſpatium ſex menſium prioris ætatis.

§. 3. Tertium Interdictum eſt de aqua caſtellaria, quo Prætor prohibet, ne is, cui aquam ex caſtello ducere a Principe permiſſum eſt, in uſu ejus impediatur.

Tit. XXI.

De

RIVIS.

QVartum Interdictum eſt de refectione aquæductus, quo Prætor prohibet, ne vis fiat quaſi poſſeſſori aquæductus, qui refici illum curat.

Tit. XXII.

De

FONTE.

INterdictum hoc cum præcedentibus convenit, nec niſi ratione objecti differt.

Tit. XXIII.

De

CLOACIS.

HArum intuitu duo interdicta proponuntur in *l. 1 h. t.*

Tit.

Tit. XXIV.

QVOD VI AVT CLAM.

EX hoc interdicto datur actio personalis illis, quorum interest, ad opus in re soli vi aut clam factum restituendum.

Tit. XXV.

De REMISSIONIBVS.

REmissio hic est abolitio novi operis nunciationis, indeque interdictum de remissionibus datur.

Tit. XXVI.

DE PRECARIO.

§. 1.

PRecarium differt a commodato, quod res ad gratuitum usum concessa, quandocunque placuerit, revocari possit; quod secus in commodato est.

§. 2. Qui precario rem accipit, eadem uti potest, sed nudus detentor, non verus possessor regulariter est; datur tamen ipsi contra tertium interdictum retinendæ possessionis; contra dominum vero interdictum recuperandæ, si per vim ipsum de possessione dejecerit.

§. 3. Illi, qui precarium concesit, datur contra

tra accipientem interdictum restitutorium ad rem cum omni damno restituendam.

Tit. XXVII.

De

ARBORIBVS CÆDENDIS.

DE his duo interdicta extant, unum de arboribus in prædium urbanum, alterum de arboribus e vicino fundo in prædium rusticum impendentibus.

Tit. XXVIII.

De

GLANDE LEGENDA.

INterdictum hoc prohibitorium est, ne domino fructus, qui in fundum vicini ceciderunt, legenti vis fiat. In Saxonia & plerisque aliis locis hodie fructus ex ramis arborum propendentibus ad vicinum pertinent.

Tit. XXIX.

De

HOMINE LIBERO EXHIBENDO.

INterdictum hoc est exhibitorium, quo Prætor præcipit, ut liber homo exhibeatur seu in publicum producatur, ejusque videndi & tangendi copia fiat.

Tit. XXX.

De LIBERIS EXHIBENDIS, ITEM DVCENDIS.

PRoponuntur hic duo interdicta, unum est exhibitorium, quo Prætor patri petenti liberos exhiberi præcipit; alterum prohibitorium, quo prohibet, ne patri liberos in sua potestate existentes ducenti vis fiat.

Tit. XXXI.

De VTRVBI.

INterdictum hoc retinendæ possessionis est, de rebus mobilibus competens; unde ab interdicto Vti possidetis nonnisi objecto differt. *l. un. §. 1. h. t. §. 4. I. de Interd.*

Tit. XXXII.

De MIGRANDO.

HOc Interdictum prohibet vim fieri Inquilino, qui migrare & res illatas locatori non oppignoratas in alium locum transferre cupit.

Tit. XXXIII.

De SALVIANO INTERDICTO.

Est

Est hoc Interdictum adipiscendæ possessionis, quo creditor principaliter possessionem rei oppignoratæ persequitur. Vnde ab actione hypothecaria differt; cum hæc sit remedium petitorium, illud vero possessorium; præterea in actione hypothecaria probari debet, rem oppignoratam tempore oppignorationis fuisse in bonis debitoris, in hoc interdicto autem sufficit, probasse, eandem possessam fuisse.

Lib. XLIV. Tit. I.

De EXCEPTIONIBVS, PRÆSCRIPTIONIBVS, ET PRÆJVDICIIS.

§. 1.

Exceptio in lato sensu tam actoris, quam rei defensionem notat. In sensu stricto autem solius rei defensionem. Dividitur (1) in exceptionem facti seu intentionis, quæ & inficiatio audit, qua actionem actori competere simpliciter negatur, & exceptionem juris seu actionis, quæ & depulsio, atque in hoc titulo præscriptio dicitur, qua reus actionem summo jure actori competere, non quidem negat; sed eandem adversus se iniquam esse dicit.

§. 2. Dividuntur Exceptiones (2) in civiles & Prætorias; (3) in personales, quæ personam se-

quuntur; reales, quæ non soli debitori, sed & fidejussoribus, ac omnibus, quorum interest, competunt; nec non mixtas, qualis est exceptio ætatis.

§. 3. Dividuntur (4) in temporales, cujusmodi est non numeratæ pecuniæ; & perpetuas, quales regulariter omnes sunt, & quidem simpliciter, ut nec triginta annorum spatio excludantur.

§. 4. Dividuntur (5) in dilatorias, quæ actionem ad tempus tantum excludunt, & peremtorias, quæ actiones in totum extinguunt. Illæ regulariter ante, hæ post litem contestatam opponendæ sunt.

§. 5. Exceptionibus rei opponitur replicatio actoris, quam duplicatio, triplicatio, & quadruplicatio alternis vicibus sequuntur.

Tit. II.

De EXCEPTIONE REI JVDICATÆ.

§. 1.

SI reus in judicio absolutus sit, & super eadem re, nec non ex eadem causa ab eodem actore conveniatur, competit ipsi exceptio rei judicatæ, quæ post litem contestatam regulariter locum habet; quodsi tamen in continenti sit liquida, ad impediendum litis ingressum etiam ante

ante litem contestatam opponi potest. Sicuti vero, ut eidem locus sit, nihil aliud, quam identitas personarum litigantium, objecti, & causæ petendi requiratur, ita liquet, eandem tunc quoque locum habere, quando modus agendi tantum diversus est, v. gr. si actor, qui prius processu executivo expertus est, post juratam chirographi diffessionem a reo factam, deinceps ordinario processu idem debitum ex eadem causa petat, & probatione per testes, vel delatione juramenti uti velit; de quo, utrum fieri possit, in ipsis rerum argumentis dubitatum fuisse, memini.

Tit. III.

De DIVERSIS TEMPORALIBVS PRÆSCRIPTIONIBVS, ET DE ACCESSIONIBVS POSSESSIONVM.

§. 1.

Exceptio præscriptionis est facti; actio enim per præscriptionem ita tollitur, ut ne quidem summo jure deinceps intentari queat.

§. 2. Omnes actiones civiles regulariter triginta annis præscribuntur; *l. 3. C. de Præscript. trig. vel quadrag. ann.* Quodsi tamen hujusmodi actiones, quæ alias triginta annos durant, semel in judicium deductæ fuerint, deinceps quadraginta annos ab ultimo actu judiciali compu-

tandos durant. *l. 1. §. 1. C. de Annal. except.* Plane actio, qua id, quod alea perditum est, repetitur, demum 50. annorum lapsu extinguitur. *l. 1. C. de Aleat.*

§. 3. Actiones Prætoriæ, quæ rem persequuntur, æque ac civiles, perpetuæ sunt, *l. 35. de Oblig. & act.* Pœnales autem regulariter anno utili a tempore scientiæ computando præscribuntur. *l. 2. junct. l. ult. h. t.* Excepta actione furti manifesti. *pr. l. de perpet. & tempor. action.*

§. 4. Brevior etiam terminus aliis quibusdam actionibus Prætoriis definitus est. Nam (1) rescissoria durat annum; (2) redhibitoria sex menses, interdum etiam 40. dies; (3) rescissoria in specie sic dicta, per quam usucapio impleta rescinditur, olim anno, Jure Novo autem quadriennio præscribitur. *§. 5. I. de Action. l. ult. C. de Temp. in integr. restit.* (4) actio doli durat biennium, *l. ult. C. de dol. mal.* actioni in factum autem perpetuo locus est; (5) æstimatoria, seu quanti minoris interdum sex menses, interdum annum; (6) actio hypothecaria contra debitorem ejusque heredem 40. annos, contra tertium possidentem vero 30. annos. *l. 7. pr. de XXX. vel XL. ann. præscript. l. 1. §. 1. C. de Annal. except.*

§. 5. Criminales accusationes, & hodie Inquisitiones, regulariter præscribuntur 20. annis, *l. 12. C. de Sicar.* Excipiuntur (1) stuprum, cui quin-

quinquennio præscribitur, *l. 29. & 6. ad l. Jul. de adult.* Civilis autem actio stupratæ ad interesse durat 30. annos; (2) adulterium, quod & ipsum post quinquennium accusationem vel inquisitionem non amplius admittit, *l. 28. C. de adult.* Neque præscriptio hæc interrumpitur per inquisitionem super simplici stupro motam, cum hæc diversi generis delicta sint, adeoque inquisitio super uno vim interrumpendi præscriptionem respectu alterius habere nequeat.

§. 6. Si concurrat violentia vel incestus, viginti demum annis utrumque, stuprum & adulterium, præscribitur, *l. 29. §. ult. Ad L. Jul. de adult.* Sic etiam in Saxonia Electorali Inquisitio super adulterio duplicato viginti annos durat.

§. 7. Computandum est tempus ab ultimo demum actu, & continuum est tam ratione initii, quam ratione cursus. *l. 19. §. 6. eod.*

§. 8. Dantur etiam delicta, de quibus inquisitio perpetuo instituti potest; ne viginti quidem annorum præscriptione obstante, v. gr. homicidium, crimen Apostasiæ, suppositi partus, blasphemiæ, læsæ Majestatis &c.

§. 9. In præscribendis actionibus personalibus Jure Civili bona fides non est necessaria, nec secus est Jure Canonico & hodierno; nam *Cap. ult. X. de præscript.* quod bonam fidem requirit, ceu Jus correctorium atque a Jure Civili exorbitans strictissime accipiendum, indeque ad

præscriptionem rerum corporalium restringendum est.

§. 10. Exceptio præscriptionis, si ex libello, aut aliunde ex Actis appareat, a Judice ex officio, licet a reo haud urgeatur, attendenda est, *Carpz. P. 1. Const. 25. def. 1. & 2.*

Tit. IV.

De

DOLI MALI ET METVS EXCEPTIONE.

§. 1.

EXceptio doli vel generalis est, quæ locum habet, quoties contra naturalem æquitatem aliquid petitur, quamvis forte actor animum defraudandi reum non habeat; vel specialis, quæ propter dolum in ipso negotio, ex quo actio instituta descendit, commissum datur; quæ locum non habet contra parentes & Patronos, quia facti infamiam continere intelligitur. Datur tamen loco illius exceptio in factum, detracta doli mentione.

§. 2. Exceptio metus est, quæ datur contra actionem ex negotio, per vim extorto, descendentem.

Tit. V.

QVARVM RERVM ACTIO NON DATVR.

PRoponitur hoc loco exceptio (1) Jurisjurandi, quæ descendit ex jurejurando voluntario, quod deferente adversa parte extra judicium præstitum est; (2) libertatis onerandæ causa, quæ datur liberto contra Patronum, qui aliquid contra libertatem a liberto sibi stipulatus est; (3) exceptio, quæ datur collusori de eo, quod in alea venditum & evictum est. *l. 2. §. 1. h. t.*

Tit. VI.

De LITIGIOSIS.

§. 1.

REs litigiosa cedi vel alienari non potest. Censetur autem actio & res, quæ petitur, litigiosa fieri per litis contestationem; quod nec Jure novo per *Nov. 112. cap. 1. & Auth. Litigiosa. C. h. t.* mutatum est.

§. 2. Alienatio rei litigiosæ Jure novo ipso Jure nulla est, ac simul certa pœna constituta, de qua vide *l. ult. §. 1. & l. 4. pr. C. h. t.*

§. 3. Casus excepti, quibus res litigiosa alienari potest, sunt: (1) si detur in dotem; (2) ex causa donationis propter nuptias; (3) divisionis

rerum hereditariarum, *l ult. §. 1. C. h. t.* (4) ex causa præcedenti necessaria, *l. 13. ff famil. herciſc.*

§. 4. Desinit res esse litigiosa (1) per sententiam Judicis, quæ vires rei judicatæ nacta est, (2) si lis transactione, aliove modo, sopita sit; (3) præscriptione seu lapsu triennii, *l. 3. §. 1. C. de Judic.* Quod ultimum hodie non amplius in usu est.

Tit. VII.

De OBLIGATIONIBVS ET ACTIONIBVS.

§. 1.

OBligatio naturalis imperfecta nullum in foro effectum habet, nec sub naturali obligatione, quando mentio ejusdem in Jure fit, comprehenditur. *l. 38. §. 1. l. 64. de Condict. indeb. l. 10. h. t.*

§. 2. Obligatio naturalis perfecta, quæ creditori Jus exigendi naturaliter tribuit, nullam quidem obligationem efficacem Jure Romano parit, *l. 7. §. 4. de pact.* alios tamen remissiores effectus producit, v. gr. compensationem, retentionem, admittit constitutum, fidejussores & pignora.

§. 3. Obligatio civilis tantum actionem quidem summo jure parit; sed quæ per oppositam exceptionem eliditur.

§. 4.

§. 4. Obligatio mixta, quæ & naturalis & civilis est, sive vinculum naturale revera subsit, sive tantum adesse fingatur, v. gr. ex re judicata, aut ex jurejurando descendens, efficacem actionem producit, nisi hic effectus speciali Lege ademtus fuerit, ut in SCto Macedoniano.

§. 5. Omnis vero obligatio præsupponit factum aliquod obligatorium, & nunquam lex immediate, ut aliqui Dd. volunt, obligationem inducit, quamvis illud factum non semper ad ordinarios obligationum fontes referri possit, sed ad varias causarum figuras aliquando pertineat.

§. 6. Qui obligatus est ad rem tradendam, eandem præcise præstare tenetur; qui vero ad faciendum obligatus est, liberatur, si loco facti id, quod interest, præstare velit. *l. 13. in fin. ff. de Re judic.*

§. 7. Actio hic est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur. *l. 25. h.*

§. 8. Dividitur (1) in civilem & Prætoriam; (2) in directam & utilem; (3) in realem, personalem & mixtam; (4) in directam & contrariam; (5) in rei persecutoriam, pœnalem & mixtam; (6) in præparatoriam & principalem; (7) Bonæ fidei & stricti juris.

§. 9. Actiones regulariter omnes in heredes active transeunt. *l. 24. de V. S. l. 6. C. Fam. herc.* Nisi ad meram vindictam, aut jus aliquod personale tendant.

§. 10.

§. 10. Ex contractu actio rei persecutoria, qualis & illa censetur esse, quæ ad pœnam conventionalem tendit, *l. 47. de Act. emt.* etiam passive in heredes transit.

§. 11. Ex delicto autem non aliter contra heredem agitur, quam quatenus aliquid ad eum pervenit. *l. un. C. Ex delict. def.* Nisi forte cum defuncto lis jam contestata fuerit, vid. *l. 7. §. 11. de Pecul.* Condictio furtiva tamen contra heredes furis non minus, ac contra ipsum furem datur; quod ibi singulare. *§. 14. I. de Act.*

Lib. XLV. Tit. I.

De VERBORVM OBLIGATIONIBVS.

§. 1.

VErbis contrahitur obligatio in Stipulatione, quæ est contractus, quæ præcedenti interrogatione & in continenti subsecuta responsione congrua perficitur. *l. 1. §. 1. h. t. §. ult. I. de Oblig.*

§. 2. Alius pro alio stipulari aut promittere Jure Civili nequit, *l. 38. §. 17. h. t.* Nisi (1) ejusdem potestati sit subjectus: (2) ratione officii contraxerit, ut tutor, Procurator. Moribus autem

tem hodiernis juxta simplicitatem Juris Naturæ & Gentium cuivis per alium obligatio & actio acquiri posse videtur; licet forte stipulantis in specie non interfit; cum generale illud Interesse, alterum beneficiis sibi devinciendi, sufficiat.

§ 3. Ex stipulatione oritur Actio ex Stipulatu, quæ hodie a condictione ex moribus in effectu non differt; cum pacta omnia animo contrahendi obligationem inita vim stipulationum habeant.

Tit. II.

De
DVOBVS REIS CONSTITVENDIS.

§. 1.

SI pluribus eadem res ex eadem causa, & quidem singulis in solidum, debeatur, dicuntur rei credendi; sed rei debendi sunt, qui eandem rem ex eadem causa singuli in solidum debent. *pr. I. h. t.*

§. 2. Correalis obligatio contrahitur per omnem contractum. *t. t. I. ff. & C. h. t.* Neque vero ad inducendam correalem obligationem requiritur, ut expressis verbis id actum sit; sed sufficit, si de hoc ex circumstantiis appareat.

§. 3. Effectus correalis obligationis est, quod correi teneantur in solidum; Jure tamen novo habent beneficium divisionis, per *Nov. 99. c. 1.*

§. 4.

§. 4. Si duo pluresve mutuo acceperint pecuniam, & simul Chirographo simpliciter ac sine mentione correalis obligationis subscripserint, censetur principaliter contraxisse, adeoque ambo pro dimidia parte obligantur.

Lib. XLVI. Tit. I.

De FIDEJVSSORIBVS, ET MANDATORIBVS.

§. 1.

FIdejussio Jure Civili fit per stipulationem, §. *ult. I. h. t.* Hodie vero etiam nudo pacto; & colligitur etiam ex subscriptione chirographi, in quo continetur, quod quis fidejussor datus sit, arg. *pr. I. de Contrab. emt.*

§. 2. Fidejussorem accipere regulariter quivis potest; excipitur uxor ratione dotis a Marito repetendæ. *t. t. C. ne fidejuss. dot. dent.*

§. 3. Valida est fidejussio pro filiofam. contra SCtum Macedonianum, *l. 10. ad SCtum Macedon.* nec non pro fœmina contra SCtum Vellejanum. Vtroque tamen casu exceptio SCti, tam Macedoniani, quam Vellejani, ipsi quoque fidejussori datur; nisi donandi animo accesserit. *l. 9. §. 3. ad SCtum Maced. l. 16. §. 1. ad SCtum Vellej.*

§. 4.

§. 4. Obstringitur etiam valide is, qui pro pupillo absque tutore contrahente fidejussit; Quamvis enim ipse pupillus Jure Civili in suum præjudicium nullo modo obligetur; *l. 41. de Condict. indeb.* habetur tamen pro naturaliter obligato, quatenus de præjudicio alterius agitur. *l. 127. de Verb. oblig.*

§. 5. Quando obligatus quis ex delicto, vel quasi est, itidem fidejussor pro ipso admittitur, si modo ad pœnam pecuniariam agatur; nam si pœna corporis afflictiva in delictum statuta sit, fidejussioni regulariter locus non est; nisi forte delinquentis copia haberi non possit, aut alias qualitas delicti, ejusque incertitudo aliud svadeat; tunc enim cautio de judicio sisti locum habet. *l. 2. ff. de Custod. reor.*

§. 6. Fidejussor æque ac principalis debitor obligatur, &, si plures fuerint, singuli in solidum, *L. 3. C. h. t.* Novo tamen Jure, vid. *Nov. 4. c. 1.* competit fidejussoribus (1) beneficium ordinis; (2) divisionis. Vtrumque cessat, si debitor aut confidejussor absens, ut non solvendo existat; (3) cedendarum actionum. *l. 11. 14. l. 21. C. h. t.*

§. 7. Fidejussor, qui debitum solvit, ad illud recuperandum habet contra principalem debitorem actionem vel mandati, si ejus mandato sive expresso, sive tacito se obligaverit, vel negotiorum gestorum, si pro absente sine mandato fidejusserit, *l. 20. §. 1. Mand. vel contr.* Qui autem pro contradicente fidejussit, nullam actionem

onem habet; quia donasse intelligitur. arg. *l. ult. C. de neg. gest.*

§. 8. Aliquando etiam fidejussor, licet nihil pro debitore solverit, tamen agendi facultatem habet; nempe (1) si creditor ipsi forte donandi animo debitum acceptum tulerit; (2) si principalis debitor bona sua dilapidare incipiat; tunc enim ad id agere potest, ut a nexu liberetur, *l. 10. C. mandat.* (3) si creditor moras in exigendo debito nectat, provocari potest ex famosa *l. 28. ff. de Fidejuss.* ut replicet contra exceptionem excussionis.

§. 9. Fidejussio exspirat; (1) extincta obligatione principali; (2) lapsu temporis, ad quod quis expresse suam fidejussionem restrinxit, *l. 44. §. 1. de Oblig. & action.* Qui vero simpliciter ad certum tempus se obligavit, eo elapso non liberatur; ad id tamen, quod post illud tempus obligationi accedit, haudquaquam tenetur. *l. 7. C. de Locat. l. 10. C. Mandat.*

Tit. II.

De NOVATIONIBVS ET DELEGATIONIBVS.

§. 1.

NOvatio est actus, quo vetus obligatio tollitur, & alia nova in ejus locum substituitur. *l. 1. pr. h. t.*

§. 2.

§. 2. Datur etiam Novatio necessaria, quæ tamen nonnisi improprie talis est; & fit per litis contestationem, *l. 7. §. 11. ff. de Pecul.* Prior enim obligatio per litis contestationem non aboletur, sed salva manet, & tantum novam qualitatem accipit, nempe quod ex temporali fiat perpetua, & in heredem transitoria. *l. 26. de Oblig. & action.* Vnde actio rei judicatæ nascitur. *l. 56. ff. de Re judic.*

§. 3. Novatio voluntaria seu proprie sic dicta fit vel mutata persona debitoris, & dicitur delegatio, *l. 11. h. t.* vel manente persona creditoris & debitoris, & novatio in specie sic dicta audit. *§. 3. I. Quib. mod. oblig. toll.*

§. 4. Novatio fit Jure Civili per stipulationem, *cit. §. 3.* hodie etiam per nudum pactum; animus tamen novandi expressis verbis declarandus est, alias enim prior obligatio haudquaquam sublata censetur. *l. ult. C. h. t. cit. §. 3.*

§. 5. Tollitur obligatio per novationem ipso jure cum suis privilegiis & accessoriis; unde etiam exceptio, quæ deleganti obstabat, in persona creditoris, cui quis delegatus est, cessat. *l. 12. l. 19. h. t.* Neque creditor contra priorem debitorem regulariter experiri potest, quamvis posterior non solvendo sit, *l. 3. in fin. C. h. t.* nisi forte delegans in se periculum expresse susceperit. *l. 45. §. penult. Mandat.*

Tit. III.

De SOLVTIONIBVS ET LIBERATIONIBVS.

§. 1.

SOlutio est modus obligationem dissolvendi per naturalem & actualem rei debitæ præstationem. *l. 55. h. t.*

§. 2. Procuratori ad litem solvi non potest sine speciali mandato. *l. 13. pr. de Pact. l. 86. ff. de Solution.*

§. 3. Si pupillo sit solvendum, debitor plenissimam liberationem non aliter consequitur, quam si decreto judicis solverit, *l. 25. C. de Administr. tut.* adeo, ut nec judicialis quietantia sufficiat. *cit. l. 25. §. 2. I. Quib. alien. lic. vel non.* Idem juris est, si tutori solutio facienda; nisi pensiones forte & usuræ, quæ centum solidos non excedunt, solvantur. *l. 25. in fin. & l. 27. de Administr. & peric. tut.*

§. 4. Potest autem pecunia in alio nummorum genere regulariter, & nisi aliter convenerit, solvi, *l. 65. §. 1. de Verb. oblig.* modo creditor ex eo non lædatur; atque adeo sive intrinseca, sive extrinseca mutatio monetæ facta sit, semper ad tempus contractus, quo pecunia mutuo data est, respiciendum. *l. 3. in fin. de Reb. cred. l. 69. de Contrab. emt.*

§. 5.

§. 5. In alternativis obligationibus electio regulariter debitoris est; nisi eorum, quæ debentur, unum facto ejus perierit; tunc enim alterum simpliciter debetur. *l. 95. de Solution.*

§. 6. Si quis ex pluribus causis obligatus sit, & certam pecuniæ quantitatem generaliter solverit, id, quod solutum est, in duriorem causam, v. gr. pro qua fidejussor acceptus est, aut pœna adjecta, imputari debet. Si autem usuræ simul debeantur, hæ ante omnia solutæ intelliguntur.

Tit. IV.
De
ACCEPTILATIONE.

§. 1.

SOlvitur obligatio etiam per acceptilationem, per quam debitori interroganti verborum obligatio a Creditore perinde, ac si solutio facta esset, remittitur. Hodie ejusmodi interrogationis & responsionis solennitate amplius opus non est, sed potest acceptilatio quocunque modo fieri.

§. 2. Acceptilatio ipso Jure liberat, conditionem tamen & diem non recipit, quia actus legitimus est. *l. 77. de R. J.*

§. 3. Præterea obligatio extinguitur per depositum Juris, seu per solennem & legalem oblationem, obsignationem & depositionem rei debitæ;

bitæ; hac enim legitime, & inprimis citato adversario facta, debitor ipso Jure liberatur, creditor autem contra judicem seu depositarium ad res depositas consequendas utilem actionem habet; dominus tamen rei non fit, arg. *l. 55. ff. de Oblig. & action.* quamvis periculum ad eundem pertineat, nec usuræ amplius currant; cum per talem oblationem creditor in mora constituatur.

Tit. V.

De PRAETORIIS STIPVLATIONIBVS.

§. 1.

PRætoriæ stipulationes sunt, quæ Edicto Prætoris interponi jubentur, & ex eodem certam formam habent. Suntque vel judiciales, v. gr. cautio rati, judicatum solvi, vel cautionales, ut stipulationes de legatis, rem pupilli salvam fore, cautio damni infecti; vel communes, quæ partim propter judicium, partim propter rem ipsam fiunt, ut cautio de judicio sisti. *l. 1. §. 3. h. t. l. 10. §. 2. Si quis caution. jud. sist. cauf.*

§. 2. Si de quantitate incerta agatur, præstanda est cautio per fidejussores, *l. 7. h. t.* alias uero pignoratitia, imo aliquando etiam nude promissoria cautio sufficit. *l. 1. §. 6. & seqq. h. t.*

Tit.

Tit. VI.

REM PVPILLI VEL ADOLESCENTIS SALVAM FORE.

CAutionem hanc præstare tenentur Jure Civili tutores legitimi, & sine inquisitione dati, nec non protutores; Reliqui vero non aliter, quam si unus eorum administrationem solus suscipere velit. Vid. §. 1. *de Satisdat. Tut. vel cur.* Hodie, si bona immobilia possideant tutores, cautio ab illis exigi non solet.

Tit. VII.

JVDICATVM SOLVI.

HÆc cautio præstatur, si reus defendatur per alium. Cavet autem, quod rem judicatam, seu id, quod Judex pronunciavit, solvere velit. Hodie reus regulariter, & nisi de fuga suspectus sit, haud cavet.

Tit. VIII.

RATAM REM HABERI, ET DE RATIHABITIONIBVS.

§. 1.

CAutio de rato præstatur ab eo, qui alterius nomine sine mandato in judicio comparet, v. gr. persona conjuncta.

§. 2. Si is, pro quo hæc cautio præstita, ratihabere nolit, effectus cautionis est, quod

cavens teneatur de eo, quod intereſt, adeoque pro conditione & qualitate ejus, cujus intuitu cautionem præſtitit. *l. 13. l. 19. h. t.*

Lib. XLVII. Tit. I.

De

PRIVATIS DELICTIS.

§. 1.

DElictum eſt quodvis factum contra LL. ſponte admiſſum. *l. 39. de Furt.*

§. 2. Conatus in delictis regulariter pœna ordinaria non punitur, ſed extra ordinem pro varietate circumſtantiarum. *l. 1. pr. & §. ult. de Extraord. crim.*

§. 3. Delictum eſt vel verum, quod dolo, vel quaſi delictum, quod culpa imputativa commiſſum eſt.

§. 4. Puberes, quales eſſe intelliguntur in delictis, qui 14. annum ætatis impleverunt, ſive maſculi ſint, ſive fœminæ, regulariter ordinaria pœna, etiam ultimi ſupplicii, afficiuntur. *Ord. Crim. Car. V. art. 164.* Solet tamen hodie intuitu ætatis pœna ſæpius mitigari. Vid. *l. 33. de min.*

§. 5. Ex delicto agitur vel ordinarie ſeu civiliter ad rem vel pœnam conſequendam, vel extraordinarie ſeu criminaliter, ad pœnam fiſco applicandam, aut corporis afflictivam.

Tit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn819013587/phys_0386
DFG

Tit. II.

De FVRTIS.

§. 1.

FUrtum est delictum privatum, quo res aliena invito domino lucri faciendi causa contrectatur.

§. 2. Actiones furti, concepti, oblati, prohibiti & non exhibiti, hodie non amplius in usu sunt. Vid. §. 4. *I. de Oblig. quæ ex delict.* Hodie enim res furtiva in alienis ædibus regulariter quæri non potest, ne quis secreta patrimonii pandere necessum habeat, *l. 2. C. de alim. pupill. præst.* nisi probabilia indicia adsint, & publica utilitas id exigat, arg. *l. 13. de Offic. Præsid.*

§. 3. Is, apud quem res furtiva invenitur, in suspicionem furti incidit, *l. 2. C. de Furt.* adeo, ut aliquando ob hoc solum indicium torturæ locus esse queat: modo (1) non sit integræ famæ; (2) res ita custodita fuerit, ut non facile alius præter ipsum eo in loco reponere potuerit; (3) non possit nominare suum autorem; sufficit tamen nominatio generalis, v. gr. quod in foro emerit. *l. 5. C. de Furt.*

§. 4. Præterea furtum vel manifestum est, vel nec manifestum: Illud dicitur, in quo fur cum re furtiva, antequam ad locum, in quo ea die permanere destinavit, pervenit, deprehen-

sus est; hoc vero, in quo ita deprehensus non est. Quæ distinctio hodie non est abrogata.

§. 5. Ob furtum agitur vel civiliter, vel criminaliter: Civiliter actione furti, quæ mere pœnalis est, & quidem ad duplum, si furtum sit nec manifestum; sin autem manifestum, ad quadruplum. Unde liquet, posse cum hac actione cumulari condictionem furtivam, & actionem rei vindicatoriam. Quæ duæ actiones tamen in hoc differunt, quod rei vindicatoria præsupponat possessorem rei furtivæ, condictio furtiva autem detur contra furem, ejusque heredes, quamvis res furtiva non amplius extet, ad ejus æstimationem.

§. 6. Criminaliter agitur ob furtum ad pœnam fisco applicandam, *l. ult. h. t.* Quæ olim ne quidem ad membri abscissionem extendebatur, *Auth. De novo Jure. C. de Serv. fugitiv.* Per *Const. Carol. V. Crim.* vero ad ultimum supplicium extensa est. Ubi tamen distinguendum; vel enim furtum est qualificatum, vel simplex; Qualificatum semper ultimo supplicio punitur, quale ex *Const. Carol. art. 159.* illud est, in quo ascensio, effractio, aut arma alternative intervenerunt; sed ex usuali interpretatione conjunctim hæc requiruntur.

§. 7. Furtum simplex est vel primum, vel reiteratum. Primum vel parvum est, vel magnum: Parvum dicitur, quod non continet quinque au-

aureos. In Saxonia autem, quod non excedit eos. Valor aurei hodie Ducatus in specie est. Parvum furtum hodie extraordinarie punitur: in Saxonia si excedat dimidiam quantitatem quinque aureorum, fustigatione; sin minus, relegatione, aliave pœna arbitraria coërcetur.

§. 8. Furtum primum magnum in Saxonia regulariter suspendio punitur; vid. *P. 4. Const. Elect. 32.* sed secundum *Const. Carol. art. 160.* non aliter, quam si gravissimæ circumstantiæ concurrant.

§. 9. Furtum secundum si parvum sit, nec cum primo quinque solidos contineat, fur pœna numellarum aut relegatione punitur; *cit. art. 160.* Sin magnum sit, sive per se, sive cum primo computatum, rursus nonnisi urgentibus circumstantiis ex mente Caroli V. Imperatoris ad ultimum supplicium pervenitur. In Saxonia autem eadem pœna hic locum habet, quæ in primo.

§. 10. Furtum tertium, sive magnum, sive parvum sit, ultimo supplicio punitur ex *Const. Carol. art. 160.* Ubi tamen in praxi illud simul requiri solet, ut fur admonitus sit, h. e. ad minimum propter unum ex præcedentibus furtis jam punitus. In Saxonia ob hoc tertium quoque furtum non aliter pœna suspendii locum habet, quam si valorem quinque aureorum excesserit.

§. 11. In genere etiam tenendum est, pro-

pter restitutionem rei ablatæ pœnam capitalem cessare, & in ejus locum extraordinariam substitui.

§. 12. Si plures simul furtum fecerint, quantitas respectu singulorum sic computanda, ut non spectetur, quid singuli actu consecuti sint, sed quanta fuisset eorum rata, si res furtiva æqualiter distributa fuisset.

Tit. III.

De
TIGNO JUNCTO.

§. 1.

SI quis tignum furtivum suis ædibus vel vineis junxerit, delictum privatum committit, stante tamen ædificio dominus ejus intelligitur, in casum separationis vero prior manet dominus. §. *29. I. de Rer. divis.*

§. 2. Datur contra jungentem actio de tigno juncto, aliquando pœnalis, si in mala fide fit, aliquando mixta, si bona fide junxerit.

§. 3. Concurrit cum hac actione, præsertim contra malæ fidei possessorem, rei vindicatio, *l. 23. §. 6. de Rei vindic.* nec non actio ad exhibendum, ad præstandam æstimationem, item actio furti.

Tit. IV.

SI IS, QVI IN TESTAMENTO LIBER ESSE JVSSVS ERIT, POST MORTEM DOMINI ANTE ADITAM HEREDITATEM SVRRIPVISSE AVT CORRVPISSE QVID DICETVR.

SI quis testamento liber esse jussus, furtum in hereditate jacente fecerit, convenitur in duplum. Quæ dupli pœna etiam locum habet, si damnum in ea dederit. Vtroque casu datur actio Prætoria in factum.

Tit. V.

FVRTI ADVERSVS NAVTAS, CAVPONES, STABVLARIOS.

SI furtum a nauta, caupone, stabulario, aut illorum operariis in rebus illatis admissum sit, datur a Prætore actio in duplum, *l. un. pr h. t.* Quod secus est, si furtum a vectore aut hospite factum; tunc enim competit tantum in simplum actio receptitia. *l. un. §. 6. h. t.*

Tit. VI.

SI FAMILIA FVRTVM FECISSE DICATVR.

SI familia, h. e. servi, furtum fecerint, datur actio Prætoria, certa qualitate aucta, contra ipsum

ipsum dominium ad hoc, ut vel pœnam furti præstet, vel familiam noxæ dedat. Eadem ratione in casu damni injuria dati competit actio L. Aquiliæ per extensionem a JCtis factam, ob idenditatem rationis. *l. 1. pr. h. t. l. 32. ad l. Aquil.*

Tit. VII.
ARBORVM FVRTIM CÆSARVM.

§. 1.

ACtione arborum furtim cæsarum conveniri potest is, qui arbores alienas furtim cædit, in duplum, ad quod æstimandum omne interesse duplicatur, *l. 8. pr. h. t.* deducto tamen prius tigni cæsi pretio. *l. 8. pr.*

§. 2. Si quis vites cæciderit, tanquam latro criminaliter punitur. *l. 2. h. t.* Add. *Constit. Carol. V. art. 68. & P. 4. Const. Elect. 37.*

Tit. VIII.
De
VI BONORVM RAPTORVM ET DE TVRBA.

§. 1.

QVi rem mobilem alienam dolo malo per vim ac palam lucri causa rapit, actione vi bonorum raptorum, quæ intra annum in quadruplum, post annum vero in simplum competit, tenetur.

§. 2.

§. 2. Concurrunt cum hac actione, actio furti, L. Aquilæ, condictio furtiva, & rei vindicatio; modo actor quadruplum nondum consecutus sit; est enim hoc non mere pœnale, sed mixtum. *l. 10. §. 1. de Condict. furt.*

§. 3. Quod ad pœnam criminalem attinet, ex *Const. Carol. art. 126.* raptores dolosi & deprædatores, non spectata quantitate eius, quod ereptum est, ultimo supplicio puniuntur, quamis delictum reiteratum non sit; neque aliud in Saxonia constitutum est.

§. 4. Si damnum in turba dolose datum sit, coërcetur actione in duplum, intra annum, post annum vero in simplum. *l. 4. h. t.*

Tit. IX.

De INCENDIO, RVINA, NAVFRAGIO, RATE, NAVE EXPVGNATA.

SI occasione incendii damnum dolose datum sit, competit actio Prætoria intra annum in quadruplum mixtum, post annum vero in simplum; præterea criminali persecutioni ad pœnam publicam pro gravitate delicti imponendam locus est. *l. 1. §. 1. h. t.*

Tit.

Tit. X.

De INJVRIIS ET FAMOSIS LIBELLIS.

§. 1.

INjuria est delictum privatum in alterius contumeliam admissum. Requirit semper dolum, seu animum injuriandi, qui tamen ex facto per se injurioso colligitur.

§. 2. Dividitur in verbalem & realem; illa subdividitur in dictam & scriptam; quæ rursus est vel scripta in specie sic dicta, vel famosus libellus.

§. 3. Injuriam inferre queunt omnes doli capaces, adeoque etiam Magistratus, nec non ministri Ecclesiæ, quoties scilicet de animo injuriandi evidenter constat.

§. 4. Nihil etiam interest, sive quis habuerit animum injuriandi hanc præcise personam, sive aliam; nam error in persona commissus ab actione injuriarum non liberat; cum sufficiat, quod in genere dolus adfuerit. *l. 18. §. 3. h. t.*

§. 5. Ad vindicandam injuriam competit (1) actio æstimatoria, quæ Prætoria est, & mere pœnalis, indeque intra annum ratione initii utilem, seu a tempore scientiæ computandum, instituenda. Injuriam passus eandem æstimat, ac sibi æsti-

æstimationem adjudicari petit; judex deinde condemnaturus reum, summam in libello expressam pro ratione circumstantiarum temperat ac moderatur.

§. 6. Datur (2) actio ad palinodiam seu recantatoria, quæ est civilis, moribus introducta, & rei persecutoria; cum id persequatur, quod famæ & existimationi nostræ opinione hominum detractum est. Unde consequitur, eandem secundum principia Juris communis cum æstimatoria actione simul in eodem libello cumulari posse; cum altera pœnalis, altera rei persecutoria sit; quæ tamen cumulatio in foro Saxonico locum non habet. Durat actio ad palinodiam, tanquam civilis, 30. annos.

§. 7. Neque vero Judex palinodiam ab actore petitam reo condemnato ob quamcunque injuriam injungit: sed tum demum, si atrox sit; alias loco palinodiæ simplicem deprecationem & declarationem honoris, eine Abbitte und Ehrenerklärung substituit.

§. 8. Cum ignominiosum haberi soleat, injuriam publice recantari, præsertim cum ejusmodi recantatio multis in locis ignominioso actu fieri soleat; inde reus ad palinodiam condemnatus reservationem honoris urgere solet, quæ fieri consueuit hac formula: daß er einen öffentlichen Wiederruff, jedoch seinen Ehren unbeschadet, zu thun schuldig.

§. 9.

§. 9. Competit (3) actio ex L. Cornelia, ob certas injurias reales, si quis nempe pulsatus, verberatus, aut domus alicujus per vim introita sit, ad pœnam, etiam civilem. *l. 37. §. 1. h. t.* Quo casu, si civiliter agatur, 30. annis, si criminaliter, 20. annis eidem præscribitur.

§. 10. Datur (4) extraordinaria persecutio injuriæ ad pœnam criminalem reo Judicis officio irrogandam. Quæ extraordinaria criminalis persecutio hodie, inprimis in foro Saxonico, cum actione civili cumulari solet. Quodsi tamen quis propter levem injuriam animo injuriandi fustigationis pœnam reo imponi petat, novæ injuriarum actioni locus est.

§. 11. Competit (5) Retorsio, per quam injuriæ verbales (nam in realibus locum non habet) in ipsum injuriantem honoris tuendi causa privata autoritate in continenti rejiciuntur. Quæ moribus approbata, per eamque actio injuriarum excluditur, ob excessum tamen, in retorquendo admissum, actio injuriarum locum habet; sicuti etiam retorsio caute fieri debet, ne nova injuria hinc oriatur.

§. 12. Illud etiam observandum est, quod Jure Civili mutuæ injuriæ inter se compensentur; in foro Saxonico autem utrinque actioni injuriarum locus sit.

§. 13. Famosus libellus est injuria scripta, qua delictum certum & famosum omisso Autoris nomine

mine alicui objicitur, & in populum spargitur, cujus pœna Jure Civili ultimum supplicium est, *l. un. C. de Famos. libell.* Hodie arbitraria esse solet, ita tamen, ut pro gravitate circumstantiarum ad fustigationem, imo aliquando ad ultimum supplicium extendi possit, v. gr. si in personam Principis ad turbandum Reipublicæ statum famosus libellus confectus sit. Qui propalat famosum libellum, & ipse hujus criminis reus fit, sed mitius, quam autor, punitur; retorsioni hic locus non est, sed actioni recantatoriæ, nec non æstimatoriæ elective.

Tit. XI.

De
EXTRAORDINARIIS CRIMINIBVS.

§. 1.

EXtraordinaria crimina dicuntur, ex quibus nulla privata ordinaria atque ad certam pœnam determinata actio datur, sed extra ordinem pœna arbitraria pro varietate circumstantiarum arbitrio judicis infligitur.

§. 2. Crimina hæc recensentut a *Lauterb. ad h.t.* quem vide.

Tit. XII.

De
SEPVLCHRO VIOLATO.

§. 1.

SI quis corpora sepulta vel ossa dolo malo extrahat, contrectet, aut monumenta deformet, agitur civiliter actione populari de sepulchro violato, ad pœnam 100. aureorum, vel etiam, si is, ad quem res pertinet, agat, ad Interesse, si hoc memoratam summam 100. aureorum excedat.

§. 2. Criminaliter si agatur, spectandum est, an sepulchrum armata manu violatum sit, quo casu ultimo supplicio locus est, an sine armis, ubi, si corpora vel ossa extracta sint, vilior ultimo supplicio, honestior autem deportatione punitur. Sin monumenta & reliquiæ contrectatæ, ad pœnam 10. pondo auri agitur.

§. 3. Judices ob neglectum in puniendis sepulchrorum violatoribus officium 20. libris auri puniuntur. *l. 3. C. h. t.*

Tit. XIII.

De

CONCVSSIONE.

§. 1.

COncussio est crimen extraordinarium, quod committitur injecto terrore, rei alicujus extorquendæ gratia; cujus intuitu agitur vel civiliter per condictionem ob turpem causam, *l. 3. C. de Condict. ob turp. caus.* vel criminaliter, ad pœnam pro ratione circumstantiarum imponendam. §. 2.

§. 2. Affinis huic crimini diffidatio die Befehdigung, qua quis per literas, signa, aliaque facta extremam vitæ, sanguinis ac bonorum persecutionem inimico denunciat, & talem quidem, unde toti universitati periculum immineat, cujus pœna ad ultimum supplicium extendi potest. *Const. Carol. art. 128.*

Tit. XIV.

De

ABIGEIS.

ABigeatus committitur, gregem ex pascuis vel aliud pecus ex armentis vel jumentis subtrahendo, *l. 1. h. t.* Pœna Jure Civili varia est, hodie eadem, quæ furti.

Tit. XV.

De

PRÆVARICATIONE.

§. 1.

PRævaricatio sumitur vel late vel stricte; in sensu lato est in genere crimen, quo quis prodita causa adversarium juvat, *l. 1. pr. h. t.* stricte vero & proprie sumitur pro dolosa accusatoris collusione in publico judicio cum reo facta, ut is absolvatur.

§. 2. Prævaricatores in hoc sensu stricto adeam pœnam tenentur, qua reum liberarunt; *l. penult. h. t.* Reliqui prævaricatores extra ordinem

puniuntur, *l. 1. §. 1. in fin. h. t.* De pœna, quæ Jure Imperii obtinet, Vid. *Const. Carol. art. 115.*

Tit. XVI.

De RECEPTATORIBVS.

§. 1.

REceptatores facinorosorum incurrunt Jure Civili eam pœnam, quam receptus merebatur, *l. 1. pr. h. t.* hodie vero extra ordinem puniuntur, modo non sint delicti socii.

§. 2. Mitius puniuntur parentes & cognati, quippe qui receptando non probare delictum, sed rei commiseratione duci videntur, *l. 2. h. t.* unde nec cognatum indicare, aut eo intuitu juramentum purgatorium præstare tenentur, *l. 6. C. de Test.* præsertim ob perjurii periculum. *l. 6. de Testib.*

§. 3. Propter hoc solum, quod quis delictum commissum non denunciaverit, regulariter pœna locum non habet, nisi forte atrocissimum sit, quod silens arbitrarie punitur; sicut & is, qui a Magistratu sub juramento interrogatus tacuit; committendum vero delictum quisque, quantum in se est, impedire debet.

Tit.

Tit. XVII.

De

FVRIBVS BALNEARIIS.

QVi vestimenta vel aliud quid in publicis balneis surripiunt, olim gravius puniebantur, quam fures; hodie vero parem cum illis pœnam subeunt.

Tit. XVIII.

De

EFFRACTORIBVS ET EXPILATORIBVS.

§. 1.

EFfractio ædium & horreorum arbitrarie punitur; carceris autem effractio ab ipso incarcerato facta, morte punitur, & quidem naturali, si propter capitale crimen convictus fuerit; sin ob aliud delictum, civili.

§. 2. Si Commentariensis incarceratum dimiserit, distinguendum, an dolo id fecerit, an culpa; priori casu ad eandem pœnam tenetur, ad quam emissus, *l. 4. C. de Custod. reor.* add. *Const. Carol. art. 180.* Posteriori casu extra ordinem pro quantitate culpæ punitur.

§. 3. Quodsi extraneus vi armata carcerem effregerit, gladio punitur, tanquam fractæ pacis publicæ reus; sin vero nulla vis armata adhibita, pœna est extraordinaria.

§. 4. Extraordinaria etiam persecutione pro arbitrio Magistratus vindicatur expilatio, quando fures in domibus aut plateis homines aggrediuntur, & ipsis vestimenta, aut alias res mobiles, sine vi tamen, auferunt.

Tit. XIX.
EXPILATÆ HEREDITATIS.

§. 1.

CRimen expilatæ hereditatis dicitur, quando res hereditariæ vacuæ lucri causa dolose contrectantur. Differt a furto, quod deficiat possessio rerum.

§. 2. Coërcetur hoc delictum arbitrarie, non solum Jure Civili, *l. 1. §. 1. de Effract.* sed etiam hodie; neque enim pœna furti odiosa & exorbitans ad hoc delictum pertinet.

Tit. XX.
STELLIONATVS.

§. 1.

OMne delictum, quo quis subdole alterius fraudandi causa aliquid machinatur, nec tamen speciale nomen habet, dicitur Stellionatus, v.gr. si quis rem alicui oppignoratam, dissimulata obligatione, alteri vendiderit, *l. 3. §. 1. h. t.* Quodsi vero quis eandem rem duobus in solidum vendiderit, tunc non Stellionatus, sed falsum est, vid. *l. 21. ad L. Cornel. de Falsi.* Reliquos casus, quibus

quibus Stellionatus committitur, vid. apud *Laut. h. t.*

§. 2. Pœna hujus criminis est extraordinaria pro ratione circumstantiarum a judice definienda; condemnatus non fit infamis, *l. 2. h. t.* nisi qualitas negotii, circa quod Stellionatus commissus est, aliud exigat, v. gr. in contractu depositi, tutelae, mandati, & societatis.

Tit. XXI.

De TERMINO MOTO.

QVi terminos, h. e. signa confines agros distinguentia, movet, extraordinarie punitur, adeo, ut etiam ad fustigationem perveniri possit, v. gr. si termini jurisdictionales mutati fuerint. Vid. *Ord. Crim. art. 114.*

Tit. XXII.

De COLLEGIIS ET CORPORIBVS.

§. 1.

COllegium est corpus, quod ex pluribus, qui eandem artem exercent, constat, *l. 1. h. t.* ad ejus constitutionem ad minimum tres personæ requiruntur, *l. 85. de V. S.* conservari autem etiam in una potest. *l. 7. §. ult. Quod cujusq. univers. nom.*

§. 2. Qui collegium illicitum constituunt, extraordinarium delictum committunt, de quo in

h. t. pœna ejus est regulariter arbitraria, aliquando vero capitalis, ut puta, si cœtus seditiosus contra Principem aut Rempublicam coierit. *l. 1. ad L. Jul. Majest.*

Tit. XXIII.

De

POPVLARIBVS ACTIONIBVS.

POpulares actiones sunt, quæ omnibus de populo competunt, qui postulare queunt. Sunt Prætoriæ actiones, & anni spatio extinguuntur. Post litem contestatam ex popularibus propriæ fiunt. arg. *l. 12. de V. S.*

Lib. XLIIX. Tit. I.

De

PVBLICIS JVDICIIS.

§. 1.

PVblica judicia dicuntur, quæ publicorum judiciorum Lege introducta sunt, ad ea delicta coërcenda, quibus maxime Respublica læditur, *pr. &* §. *1. I. h. t.* Horum igitur præcipuus character est specialis notatio Legis publicæ.

§. 2. In publicis judiciis modus procedendi singularis plane olim obtinuit; hodie vero duplex est, vel inquisitorius, vel ordinarius, qui & accusatorius audit, ejusdemque exempla sunt in accu-

accusationibus, quas hodie fiscales contra delinquentes movere solent. Frequentior autem est inquisitio, quæ vel generalis, vel specialis est.

Tit. II.

De ACCVSATIONIBVS ET INSCRIPTIONIBVS.

§. 1.

ACcusator dicitur, qui crimen ad judicem defert, publicæ vindictæ causa.

§ 2. Modus procedendi Juris Civilis hic est: (1) offertur libellus accusatorius, qui constat narratione facti, causa concludendi, & petitione, etiam generali; (2) Accusator inscribendo nomen suum ad pœnam talionis se obstringere debet; quod hodie non amplius in usu est, satisdare tamen accusator de expensis refundendis, nec non de injuria tenetur.

§. 3. Facta litis contestatione, ineunda est probatio accusatori, quæ luce meridiana clarior esse debet, scilicet ad effectum condemnandi, *l. ult. C. de Probation.* alias vero juramento purgatorio aut torturæ pro re nata locus est.

Tit. III.

De

CVSTODIA ET EXHIBITIONE REORVM.

§. 1.

SI reus alibi degat, exhibendus est Judici ejus loci, in quo delictum commissum est; quod hodie non amplius necessitatis, sed tantum urbanitatis, & liberæ voluntatis est.

§. 2. Reus exhibitus mancipatur carceri, qualem privati habere nequeunt, alias in crimen læsæ Majestatis incidunt, *l. 1. C. de Priv. Carcerib.* Hodie pœna arbitraria esse solet. Excipiuntur tamen Parentes, Præceptores, Mariti, nec non domini; imo licet cuivis in flagranti crimine deprehensum carceri includere; modo eundem ultra 20. horas non detineat. *l. 25. pr. ad L. Jul. de Adult.*

§. 3. In carcere decernendo attendenda non solum qualitas delicti, an probabiliter ad pœnam corporis afflictivam deveniri possit; sed etiam indicia, pro conditione personarum vel leviora, vel graviora; sola tamen inculpatio socii aliis indiciis deficientibus haudquaquam sufficit. Quod tamen limitari solet in casu, quo fœmina soluta Maritum adulterii arguit.

§. 4.

§. 4. Cum carcer custodiæ, non vero pœnæ loco sit, regulariter ad hanc mitigandam nihil prodest, quamvis diuturnus fuerit; si modo facto Judicis diuturnitas carceris non provenerit. Vid. *l. 23. C. de Pœn.*

§. 5. Magistratus, qui injuste aliquem incarcerat, Syndicatus, nec non injuriarum nomine, si de animo injuriandi constet, tenetur.

Tit. IV.
AD LEGEM JVLIAM MAJESTATIS.

§. 1.

CRimen læsæ Majestatis est, quo summa in Republica potestas læditur. Dividitur in crimen perduellionis, & crimen læsæ Majestatis in specie sic dictum.

§. 2. Crimen perduellionis, quo quis directo aliquid adversus Principem vel Rempublicam hostili animo machinatur. *l. ult. h. t.* Pœna ejus est ultimum supplicium, ac rei memoria condemnatur, & bona confiscantur, *l. ult. h. t.* filii etiam infames, & omnium successionum incapaces fiunt. Filiæ autem a paterna quidem hereditate excluduntur, ex materna autem quartam partem accipiunt, *l. 5. §. 3. C. h. t.* ubi observandum est, quod ratione liberorum hæc non sit pœna proprie sic dicta, sed tantum sensus effectusque

pœnæ

pœnæ paternæ ad eosdem transeat, præsertim cum in filiis vindicta & ultio mortis paternæ metuatur. Accedit, quod existimatio civium in Republica dependeat ab arbitrio Principis, qui eam augere & minuere potest, prout Reipublicæ suæ expedire censuerit.

§. 3. Crimen læsæ Majestatis in specie est, quo quis indirecte contra Principem & Rempublicam aliquid machinatur, v.gr. regale usurpando; cujus pœna pro ratione circumstantiarum varia est, capitis, fustigationis, aliaque arbitraria.

§. 4. Si quis in Principem maledicta evomat, notandum est, quod contra maledicentem non prius procedi aut pœna in eum statui debeat, quam maledicta ad Principem relata sint. *l. un. C. si quis Imp. maledix.*

Tit. V.

AD LEGEM JVLIAM DE ADVLTERIIS COERCENDIS.

§. 1.

ADulterium Jure Civili nonnisi cum uxore committitur, adeoque Maritus, cum soluta rem habens, nonnisi stuprum committit, *l. 6. §. 1. l. 34. §. 6. t.* Jure Canonico autem & hodierno omnis violatio thori conjugalis per concubitum facta adulterii nomine venit. Vnde dividitur in simplex & duplex; illud est, quod solu-

solutus cum uxore, aut maritus cum soluta committit; hoc vero dicitur, quod a personis utrinque conjugatis commissum est.

§. 2. Qui concumbit cum fœmina, quam solutam esse credit, & uxorem esse ignorat, revera quidem adulter est, pœna tamen adulterii ordinaria cessat; si modo ignorantiam hanc juramento confirmare possit; gravius tamen delictum hoc, quam simplex stuprum, punitur; tum quod ignorantia hæc vincibilis, tum quod actus, in quo versatus est, per se illicitus sit.

§. 3. Præterea adulterium est vel consummatum, vel attentatum, illud requirit commixtionem seminis ac sangvinis, quæ, ubi deficit, non nisi pro attentato habendum est, quamvis copula carnalis intervenerit. Non tamen dubito, hujusmodi adulterium, ubi carnalis copula facta est, verum adulterium esse, adeoque ad dissolvendum vinculum matrimoniale sufficere; licet plena consummatio per immissionem seminis non accesserit; pœna tamen ordinaria, si criminaliter agatur, tali casu cessat.

§. 4. Pœna adulterii Jure divino forensi capitalis est, *Lev. 20. v. 10.* quæ Jure Civili veteri eadem fuit, *l. 30. C. h. t. §. 4. I. de Publ. judic.* Jure autem Civili Justinianeo fœmina virgis cæsa in monasterium detruditur, *Nov. 134. cap. 10.* Hodie autem secundum Constitutionem Carolinam pœna rursus capitalis est, tam in uxore quam

quam marito, *art. 120.* Quæ sanctio Jure Saxonico confirmata est; aliis tamen in locis mitior pœna obtinet.

§. 5. Cessat pœna adulterii ordinaria capitalis, (1) si coadulter absens sit, & hinc de corpore delicti non certo constet; (2) si per immissionem seminis non plene consummatum fuerit, de quo dictum; (3) si adulter a conjuge suo desertus fuerit; (4) si adulterium cum uxore, meretricio more vivente, commissum fuerit; unde eadem pœna capitalis cessat, si probari possit, uxorem, cum qua solutus concubuit, jam antea semel adulterium commisisse, modo illud a marito remissum non fuerit; ratio est, quia per primum adulterium vinculum matrimoniale solutum est, ut hinc is, qui postea cum ea rem habet, non tam cum uxore, quam potius soluta, concumbere videatur; (5) si conjux innocens injuriam remittat, & adulterum in thorum conjugalem recipere velit. Quo casu in Saxonia Electorali perpetua relegatio adultero dictatur; locus autem est remissioni conjugis extra Saxoniam etiam in adulterio duplicato; in Saxonia autem tantum in simplici, & pars innocens eundem sequi tenetur.

§. 6. Potest etiam maritus & pater uxorem, filiamve, in adulterio deprehensam, impune occidere; & quidem pater filiam cum adultero ita, ut uno quasi ictu utrumque interficiat, in sua vel gene-

generi domo; alias extraordinariæ pœnæ locus est, *l. 23. & 32. h. t.* Maritus vero non nisi adulterum impune occidit, & quidem tunc demum, si vilis conditionis sit, & in ejus domo deprehendatur; uxorem vero occidens extraordinarie punitur.

§. 7. Stuprum, quod a solutis committitur, est vel violentum, vel voluntarium; illud consummatum morte punitur, attentatum vero extraordinarie.

§. 8. Hoc, scilicet voluntarium, Jure Civili punitur in honestioribus publicatione dimidiæ partis bonorum, in vilioribus autem fustigatione cum relegatione, §. *4. I. de Publ. judic.* Hodie vero arbitrarie puniri solet, speciatimque in Saxonia 14. dierum carcere, salvo interesse privato; intuitu cujus stuprata, ut vel ducatur, vel dotetur, nec non alimenta infanti præstentur, agere potest.

§. 9. Fornicatio seu concubitus cum meretrice fuit olim extra pœnam; hodie vero plerisque in locis arbitrarie, v. gr. carcere, punitur.

§. 10. Bigamia Jure Civili punitur ut adulterium; hodie pœna ejus capitalis est, si modo (1) dolosa sit; (2) copula sacerdotali & carnali consummata; (3) prior conjux non remittat; propter hujus remissionem enim non solum in Saxonia Electorali, sed etiam extra eandem pœna capitalis cessat.

§. 11.

§. 11. Incestus, qui inter consanguineos & affines in gradu prohibito committitur, in Saxonia in linea recta consanguinitatis gladio, in linea recta affinitatis autem fustigatione punitur: quæ pœna etiam locum habet in gradu primo consanguinitatis, vel in secundo lineæ collateralis inæqualis, item in gradu primo affinitatis; vid. *P. 4. Const. Elect. 22. & 24.* in gradibus remotioribus pœna est relegationis aliaque arbitraria.

§. 12. Qui quæstus gratia fœminas aliis prostituit, Leno audit, idemque, si filiam aut uxorem prostituat, ultimo supplicio, *Ord. Crim. art. 122.* in aliis vero casibus arbitrarie punitur. *Art. 123.*

Tit. VI.

AD LEGEM JVLIAM DE VI PVBLICA.

VIs hoc loco est delictum publicum, quo per vim tranquillitas & securitas publica læditur; estque vis vel publica vel privata: illa Jure Civili deportatione, imo interdum capite punitur, *l. 1. pr. h. t. §. 8. I. de Publ. jud.* hodie arbitrarie, pro varietate circumstantiarum, nisi sit (1) crimen fractæ pacis publicæ; ubi præsens reus capite punitur, absens vero in bannum Imperii incidit; (2) Crimen raptus, quod committitur honestam personam libidinis gratia abducendo; hujus pœna est ultimum supplicium, quamvis persuasio-

fuasionibus inducta consenserit; nec raptor raptam uxorem ducere potest. *l. un. C. de Rapt. virg.* Quod Jure Canonico & hodierno haud observatur.

Tit. VII.

AD LEGEM JVLIAM DE VI PRIVATA.

VIs privata per violentiam leviorem, quæ publicam quietem non adeo graviter lædit, committitur. Pœna ejus Jure Civili est publicatio tertiæ partis bonorum, §. *8. I. de Publ. jud.* hodie vero arbitraria.

Tit. VIII.

AD LEGEM CORNELIAM DE SICARIIS ET VENEFICIIS.

§. 1.

HOmicidium est vel dolosum, vel culposum, vel necessarium, vel casuale.

§. 2. Dolosum homicidium vel simplex est, vel qualificatum; simplex, quod nomen generis retinet, capite punitur. Ubi sufficit voluntas occidendi; etiam indirecta, v. gr. si quis animo vulnerandi tantum aliquem occiderit, modo (1) homicidium sit consummatum, scilicet hodie; olim enim etiam attentatum capitale erat, *l. 1. pr. h. t.* (2) vulnus inflictum per se lethale fuerit; de qua lethalitate ex inspectione cadaveris mediante judicio

dicio Medicorum constare debet. Vid. *Ord. Cr. art. 149.*

§. 3. Si plures aliquem interfecerint, distinguendum est, utrum prævia conspiratione, an vero in homicidium rixa subito factum sit. Priori casu omnes capite puniuntur, s. unus, sive plures percusserint, sive etiam de autore vulneris constet, sive non. Posteriori casu, si constet de eo, qui vulnus lethale inflixit, is solus ordinariæ pœnæ subjicitur, sin autem de hoc non constet, ille, contra quem, quod lethaliter vulneraverit, suspiciones militant, torquetur; alias vero, si nullus præ alio magis gravatus sit, omnes, qui rixæ interfuerunt, extra ordinem puniuntur. *art. 148.*

§. 4. Si omnes occisum vulneraverint, videndum, an vulnera omnia lethalia fuerint, nec ne. Priori casu omnes gladio puniuntur, nisi de primi vulneris autore constet; tunc enim is solus capite punitur, quia subsequentes non hominem, sed cadaver feriisse censentur. Posteriori casu autem, si vulnera singula non fuerint lethalia, sed simul sumta, omnes extra ordinem puniuntur.

§. 5. Qualificatum homicidium est (1) Parricidium, de quo titulo sequenti; (2) Veneficium, quod hoc loco est homicidium veneno malo commissum; cujus pœna Jure Civili gladius est, etiam respectu ejus, qui venenum nocendi causa vendidit; quamvis delictum secutum non sit. *l. 1. §. 1. l. 3.*

§. 1. l. 3. pr. h. t. Hodie vero nonnisi consummatum hoc delictum capitaliter punitur, & quidem rota in masculis, in fœminis autem aquæ suffocatione; *Ord. Crim. art. 130.* Si modo venenum animo occidendi datum per se & immediate causam morti præbuerit; *art. 178.* (3) Assassinium seu assassinatus, quod est homicidium ab eo, qui mercede ad hoc conductus est, commissum, cujus pœna est rota, tam ratione mandantis, quam mandatarii; (4) latrocinium, quod est homicidium spolii & lucri causa commissum, cujus pœna itidem est rota, accedente pro varietate circumstantiarum ustione, candentibus forcipibus facienda.

§. 6. Homicidium culposum arbitrarie pro quantitate culpæ, prout vel lata, vel levis, vel levissima fuerit, punitur. *l. 1. C. h. t. Ord. Crim. art. 146.* Casuale autem, quod sine dolo & culpa secutum est, plane non punitur, *cit. art.* add. *l. 6. C. de Pign. act.*

§. 7. Necessarium homicidium, quod in sui defensionem committitur, itidem extra pœnam est, si modo moderamen inculpatæ tutelæ per omnia observatum sit, h. e. injusta offensio, ex qua vitæ periculum imminebat, in continenti, cum fuga tuto instituti non posset, repulsa sit.

§ 8. Sequitur veneficium, pro eo delicto acceptum, quod magicas artes exercendo committitur, cujus pœna Jure Civili gladius est, *l. 5. C. de maleſis.*

malefic. vel ignis. *l. 3. C. eod.* Hodie distingvitur, an pactum cum diabolo expresse intervenerit, nec ne. Priori casu rursus videndum, an damnum sit datum, & tunc ignis supplicium dictatur, an vero non, & tunc extraordinaria pœna infligitur, *Ord. Crim. art. 109.* In Saxonia Electorali in casu expressi pacti ignis supplicium indistincte dictatur, sive damnum datum sit, sive non.

§. 9. Si pactum solum tacitum, magicas scilicet artes exercendo, intervenerit, extraordinariæ pœnæ pro gravitate circumstantiarum locus est.

§. 10. Incendii pœna Jure Civili erat crematio vincti & verberati, si in urbe factum esset incendium, sin extra urbem, tantum deportatio. *l. ult. de Incend.* Hodie indistincte pœna ignis dictatur, vid. *Ord. Crim. art. 125.* si modo dolo malo factum sit incendium; nam si culpa solum contigerit, is, qui eam admisit, extra ordinem punitur pro gravitate culpæ, & civiliter ad damnum resarciendum tenetur; si modo talis culpa sit, quæ ex natura negotii præstanda venit.

Tit. IX.

AD LEGEM POMPEJAM DE PARRICIDIIS.

§. 1.

PArricidium per dolosam occisionem personarum conjunctarum committitur; quod in linea

linea recta commissum, culeo, tam Jure Civili, *l. 1. l. 9. h. t. l. un. C. de His, qui parent.* quam hodierno, punitur. In linea collaterali autem gladio, accedente interdum exasperatione. Vid. *Ord. Crim, art. 137.*

Tit. X.

AD LEGEM CORNELIAM DE FALSIS.

§. 1.

Falsum est crimen publicum, quo veritas in alterius præjudicium dolose immutatur; in quo puniendo id in primis attendendum est, an & quale damnum per illud datum sit.

§. 2. Pœna hujus delicti Jure Romano in servis ultimum supplicium est, in liberis hominibus autem deportatio & confiscatio omnium bonorum, *l. 1. §. ult. h. t.* Quod tamen mutatum per *Nov. 134.* Hodie pœna est arbitraria, quæ tamen pro gravitate circumstantiarum ad mortem extenditur, v. gr. si quis falsum testimonium dixerit; ex quo reus morte condemnatus est, aut si quis monetam fecerit falsam: quo casu pœna ignis est, *l. 2. C. de Falsa monet. Ord. Crimin. art. 111.*

Tit. XI.
AD LEGEM JVLIAM REPETVNDARVM.

§. 1.

CRimen repetundarum committunt Magistratus, & alii in officio publico constituti, dona & munera accipiendo, ut magis vel minus officium faciant, *l. 6. pr. h. t.*

§. 2. Prohibentur autem munera tantum, non vero xenia, h. e. esculenta & potulenta, quæ paucis diebus possunt consumi, *l. 18. de Offic. Præsid.* quamvis rectius hæc quoque recusentur, ad conservandam integritatis laudem, omnemque suspicionem evitandam.

§. 3. Pœna hujus delicti est pecuniaria, scilicet quadrupli; quod totum fisco cedit, si sponte quis dederit, sin vero coacte, dimidium actoris est, *l. ult. C. h. t.* potest etiam extra ordinem judex puniri, eademque pœna urgentibus circumstantiis ad mortem extendi; præterea infamis fit, & sententia ejus est ipso jure nulla, teneturque ad litis æstimationem præstandam, *l. ult. C. de Pœn. Judic. mal. judic.*

Tit

Tit. XII.

AD LEGEM JVLIAM DE ANNONA.

SI quis rei ad annonam pertinentis abundantiam & commercium dolo malo impediat, incurrit pœnam 20. solidorum, nec non extraordinariam, pro ratione circumstantiarum.

Tit. XIII.

AD LEGEM JVLIAM PECVLATVS, ET DE SACRILEGIS, ET DE RESIDVIS.

§. 1.

PEculatus in sensu stricto est crimen publicum, quo pecunia publica surripitur ab eo, cujus fidei & periculo commissa non est. *l. 4. pr. h. t.*

§. 2. Pœna ejus est pecuniaria, quadrupli, vel extraordinaria, in privatis deportatio, in publicis ultimum supplicium, §. *9. l. de Publ. jud.* Hodie pro quantitate ejus, quod surreptum est, pœna furti applicatur. Præscribitur huic delicto quinque annis. *l. 7. h. t.*

§. 3. Sacrilegium Jure Civili dicitur, quando res sacra vel religiosa ex loco sacro surripitur, *l. 9.* §. *1. l. 10.* §. *1. h. t.* Jure Canonico autem & hodierno sacrilegium est, quando vel sacra res, vel aliquid ex loco sacro surripitur. Pœna ejus Jure Civili est capitis regulariter, sicut &

hodie; aliquando tamen ad ignem vel rotam extenditur, si res sacra ex loco sacro surrepta fuerit.

§. 4. Crimen residui est, quando pecunia publica ab eo, cujus fidei & periculo ad certum usum publicum destinata, data erat, retinetur, vel in usum proprium convertitur, *l. 2. 4. §. 3. h. t.* Pœna ejus est pecuniaria, & reus punitur amplius tertia parte ejus, quod ipse fisco debet. *l. 4. §. 5. h. t.*

Tit. XIV.

AD LEGEM JVLIAM DE AMBITV.

Ambitus est crimen publicum, quo tenentur illi, qui illegitimo modo honores & dignitates sibi parant, *l. un. C. h. t.* Pœna olim erat, ut reus intra quinquennium alios honores petere non posset; deinde centum solidorum, interdum etiam deportatio esse cœpit. *l. un. C. h. t.*

Tit. XV.

De LEGE FABIA DE PLAGIARIIS.

§. 1.

Plagium est crimen, quo liber homo vel servus alienus dolose supprimitur. Pœna ejus Jure Civili ab initio pecuniaria erat, deinde arbitraria facta, demum gladii, *l. ult. C. h. t.* Quæ capitalis pœna etiam hodie locum habet.

§. 2.

§. 2. Huic simile est plagium literarium, quod scripta aliena dolose compilando, nomenque autoris supprimendo committitur, idque hodie frequentissimum, sed & pravitate seculi impunitum esse solet.

Tit. XVI.

AD SENATVS CONSVLTVM TVRPILIANVM ET DE ABOLITIONIBVS CRIMINVM.

§. 1.

QVi calumniatur, seu dolo malo aliquem falsi criminis accusat, Jure Codicis pœnam talionis incurrebat, *l. 17. C. de Pœn.* hodie arbitrariam. Qui vero prævaricatur, seu in Judicio publico cum reo dolose colludit, ut hic absolvatur, publico judicio accusabatur, *l. 3. pr. & §. 1. de Prævaricat.* Hodie pœna itidem est arbitraria. Is denique, qui tergiversatur, seu publicam accusationem intermittit, in SCtum Turpilianum incidit, & ab accusando repellitur. *l. 2. h. t.*

§. 2. Abolitio est remissio necessitatis accusationem peragendi, quæ est vel generalis, seu publica, vel specialis, seu privata, quam Judex ex justa causa concedit. Alias vero abolitiones criminum nonnisi a Principe fieri possunt.

Tit. XVII.

De

REQVIRENDIS REIS, VEL ABSENTIBVS DAMNANDIS.

Vid. *Tit. de Accusation.*

Tit. XVIII.

De

QVAESTIONIBVS.

§. 1.

Quæstionum finis est, ut per corporis cruciatus de veritate criminis commissi constet, *l. 12. C. h. t.* quarum usus, quamvis periculosus sit & ambiguus, non tamen prorsus rejiciendus est, quod alias multa, eaque atrociſſima crimina futura essent impunita.

§. 2. Quæstioni seu torturæ tunc locus est, si delictum grave sit, in quod pœna corporis afflictiva constituta, & reus prægnantibus indiciis gravatus sit; non ergo, si reus jam confessus aut convictus; nisi forte de correis res adhuc dubia sit.

§. 3. De indiciis, quæ ad torturam sufficiunt, vide *Ord. Crim. art. 29. & 30.*

§. 4. Indicia autem regulariter plene probanda sunt, v. gr. per duos testes omni exceptione majo-

majores; sufficit tamen ad territionem unus testis, si de proximo indicio deponat.

Tit. XIX.

De

POENIS.

§. 1.

POena est malum passionis, quod propter malum actionis infligitur. Dividitur in civilem, quæ privatum actoris interesse concernit, & criminalem, quæ publicum interesse respicit, eademque vel capitalis est, vel non capitalis. In Saxonia pœna civilis dicitur etiam illa, quæ ad publicum interesse pertinet, si modo corpus non afficiat, wenn sie nur nicht auf Haut und Haar gehet.

§. 2. Pœnæ delictis adæquatæ esse debent, & secundum proportionem Arithmeticam infligi, quam vis Geometrica in æstimanda delictorum gravitate attendenda veniat.

Tit. XX.

De

BONIS DAMNATORVM.

§. 1.

OLim cum pœna capitali semper confiscatio bonorum conjuncta fuerat. Jure novo autem confiscatio non amplius tacite cohæret delictis

lictis capitalibus, quoties descendentes & ascendentes usque ad tertium gradum adsunt, excepto crimine læsæ Majestatis. *Nov. 134. cap. ult.*

§. 2. Non vero sub pœnis confiscationi obnoxiis comprehenduntur bona uxoris, nec non feudalia, nec filii condemnati profectitia, castrensia, & quasi castrensia; cum peculia filiifamilias in ejus tantum favorem separata sint; qui favor hoc casu cessat; item quæ fideicommisso subjecta sunt, aut aliis ex contractibus debentur.

Tit. XXI.

De

BONIS EORVM, QVI ANTE SENTENTIAM VEL MORTEM SIBI CONSCIVERVNT, VEL ACCVSATOREM CORRVPERVNT.

QVi in reatu capitali constituti mortem sibi ipsis consciverunt, eorum bona itidem confiscantur, nec testamenta valent. Quod hodie regulariter locum non habet, exceptis delictis, quorum pœnis confiscatio hodienum cohæret, quale est crimen læsæ Majestatis.

Tit. XXII.

De

INTERDICTIS ET RELEGATIS ET DEPORTATIS.

§. 1.

INterdictus est, cui certus locus vel aliud quid est interdictum; relegatus vero, qui a certo loco excluditur, vel etiam ad certum locum, cujus fines egredi non potest, includitur, quod in specie confinatio dici solet. Est vero relegatio uel temporalis, vel perpetua.

§. 2. Relegatus retinet Juscivitatis, bona & famam; nisi propter delictum famosum relegatio facta sit.

§. 3. Qui relegantur, præsertim in perpetuum, præstant urphedam, quo promittunt jurato, quod vindicta non uti, nec reverti in civitatem velint, cujus violatio punitur prima vice abscissione duorum digitorum, altera uice fustigatione.

§. 4. Qui urphedam præstare recusant, ad hoc compelluntur carcere cum carena; quodsi in contumacia perseverent, lictor in animam eorum juraturus admittitur.

§. 5. Deportatus est, qui vinctus in certum locum transfertur, ut amissa civitate ibi perpetuo maneat Ejus hodie nullus usus est; æquiparatur tamen illi ratione totius Imperii bannum Imperii,

rii, die Reichs-Acht; ratione singularum vero provinciarum fustigatio cum perpetua relegatione conjuncta.

Tit. XXIII.

De

SENTENTIAM PASSIS ET RESTITVTIS.

REstitutio fit vel ex capite justitiæ, quæ omnia simpliciter in pristinum statum reducit, vel gratiæ, quæ vel plena, vel minus plena est, prout Princeps voluit.

Tit. XXIV.

De

CADAVERIBVS PVNITORVM.

CAdavera eorum, qui capitale supplicium subierunt, regulariter sepeliuntur, non vero semper, ob atrocitatem delicti, de quo in *tit. de Mort. infer.* Aliquando etiam Anatomicis a Principe concedi solent.

Lib. XLIX. Tit. I.

De

APPELLATIONIBVS ET RELATIONIBVS.

§. I.

APpellatio est remedium suspensivum, quo is, qui per sententiam gravatus est, ad Judi-

dicem Superiorem provocat, eandemque corrigi atque gravamen removeri petit.

§. 2. Circa hoc remedium inprimis fatalia notanda sunt quatuor: (1) Appellationis interponendæ; (2) Pentendorum Apostolorum; (3) Introducendæ; (4) justificandæ Appellationis.

§. 3. Fatale Appellationis interponendæ est spatium 10. dierum, quod currit a tempore publicatæ sententiæ; *Nov. 23. cap. 1.* Licet quis tenorem sententiæ forte ignoret; modo hoc casu ad ejus publicationem rite citatus fuerit. *Carpz. in proceſſ. art. 3. num. 34.* Alias decendium nonnisi a tempore cogniti gravaminis currit, si ignorantia mediante Juramento probari possit. *Brunn. in Proc. cap. 28. n. 43.* Idem facile observandum est ei, qui Appellationi adhæret: *cap. 4. de Elect. in 6. Carpz. in Proc. tit. 4. art. 2. n. 28.* Nisi gravamen commune fuerit; tunc enim in ipso justificationis termino adhuc licita est adhæsio.

§. 4. Appellationis interpositio fit vel viva voce, quod permittitur Jure Canonico contra sententiam definitivam, vel in scriptis, per schedulam, ut vocatur, Appellationis; quæ continere debet (1) nomen Appellantis & Appellati, item judicis a quo; (2) sententiam, decretum vel actum, quo quis se gravatum esse prætendit, ubi consueta formula adjici solet: *Quod id fiat, salva autoritate dominorum concipientium.* Expressio autem gravaminum fit vel in genere, vel in specie,

cie, qualis propterea suadenda est, ut Judex ad quem eo promptior ad recipiendam Appellationem sit; quamvis omnia gravamina exprimi, opus haud sit, sed aliqua, eademque majoris momenti, allegasse sufficiat. *L. 3. §. ult. ff. de Appellat.* (3) Nomen Judicis ad quem, quod vel in specie fit, vel in genere. Satis enim est, provocari ad competentem; quo tamen casu, si plures Judices concurrentem in ea causa jurisdictionem habeant, appellatus determinare deinceps debet, ad quem dirigi Apostolos velit. (4) Implorationem de recipienda Appellatione, cui petitio Apostolorum tutissime jungitur, instanter & sæpius facienda. *Clement. 2. de Appellat.* (5) Nominis appellantis subscriptionem, vel ab ipso Principali, vel ejus Procuratore factam. Imo solius Advocati causæ subscriptio sufficit. *arg. Capit. 72. de Regul. Jur. in 6.*

§. 5. Alterum fatale est petendorum Apostolorum, qui nihil aliud sunt, quam literæ, seu libelli dimissorii; quibus causa a Judice a quo ad Judicem ad quem remittitur. Fatale hoc complectitur spatium 30. dierum a tempore latæ sententiæ, etiam in Saxonia Electorali.

§. 6. Species Apostolorum variæ sunt (1) Reverentiales; (2) Refutatorii; (3) Testimoniales; (4) conventionales; (5) dimissoriales. Quarum tres posteriores species infrequentes; duæ priores frequentiores sunt.

§. 7. Dicuntur autem Apostoli Reverentiales,

tiales, quibus Judex a quo, Appellationi in honorem Superioris delatum esse, indicat; quales Apostoli inprimis locum habent in Appellationibus a sententiis definitivis, aut quoties gravamina majoris momenti esse videntur.

§. 8. Apostoli Refutatorii vocantur, quibus Judex a quo gravamina Appellantis refutat; ubi tamen integrum est Appellanti, ut a Judice ad quem Apostolos sibi communicari, &, certum terminum ad eorum refutationem indulgeri, petat.

§. 9. Præterea observandum est, quod Appellans in termino a Judice præfixo Apostolos sub pœna desertionis redimere teneatur; *Clement. 2. de Appellat. Resol. grav. de anno 1653. grav. 29.* Super utraque tamen desertione, sive Apostoli plane non petiti, sive in termino redemti haud fuerint, Judex a quo pronuntiat. *Carpz. P. 1. Const. 20. def. ult.* Quando vero introducta est Appellatio, cognitio super desertione pertinet ad Judicem ad quem, *Schvvendend. ad Fibigii Proc. p. 867.*

§. 10. Tertium Fatale est Appellationis Introducendæ, intra quod Appellatio interposita Judici ad quem una cum Apostolis insinuanda est, juncta petitione pro obtinendis processibus; uti peti solet (1) Inhibitio, per quam Judex a quo in causa ulterius procedere prohibetur. (2) Compulsoriales, ut Acta prioris instantiæ edantur. (3) Vt terminus ad justificandam Appellationem præfigatur.

§. 11. Fatale hoc Jure Civili continet tempus arbitrarium, *l. 2. §. C. de tempor. & reparat. Appell.* In Camera Imperiali est 6. mensium, *Recess. Imp. de anno 1654. §. 67.* Jure Saxon. Elect. est mensis spatium, quod ex tempore datorum Apostolorum computandum est, *Appellation-Ordnung. Tit.* Von *Appellation*, wie die angenommen. §. *1. in Corp. Juris Saxon. p. 855.*

§ 12. Quartum Fatale est Appellationis Justificandæ, intra quod Justitia Appellationis, quoad formalia & materialia deducenda est. Complectitur Jure Civ. annum, interdum ex justa causa biennium. *Authent. Ei, quo. C. de tempor. & reparat. Appell. L. ult. §. 4. C. eod.* Currit a tempore interpositionis. *arg. L. 3. C. eod. Clem. 3. de Appellat.* Jure Camerali fatale hoc negligitur. *Blum. in Proc. Cam. Tit. 49. §. 35.* Jure Saxonico Elect. regulariter terminus Juris Civilis attendendus est, Appellation-Ordnung. *cit. tit.* §. Wenn nun also. nisi quod in Supremo Appellationum Judicio, nec non in Curiis Provincialibus sit proximus Judicii terminus; modo a die inhibitionis impetratæ tantum spacii reliquum sit, ut citationes integrum terminum Saxonicum continentes emanare queant, *Appellation-Ordnung. eit. loc. §.* Datum wenn. Jungatur tamen *Mandatum El. de anno 1670. §.* Anlangende. in Appendice *Corpor. Jur. Sax. p. 16.*

§. 13. In termino justificationis si appellans emanserit, Appellatio pro deserta habetur, *L. 5. C. de*

C. de temporib. & reparat. Appellat. Clem. 3. de Appellat. Ord. Proc. Sax. tit. 10. §. Da aber. Sin autem Appellatus contumax sit, Jure Civili extremo fatali die causa Appellationis decidi-tur. *Nov. 136. cap. 2.* In Saxonia vero non aliter in meritis pronuntiatur, quam si gravamina nullius momenti esse, adeoque sententiam prioris instantiæ confirmandam esse, appareat; sin autem altioris indaginis sint, & pondus aliquod habere videantur, sententia prioris instantiæ reformari nequit, nisi prævia interlocutoria, per quam Appellato responsio ad justificationem Appellationis sub comminatione, daß in nochmahliger Verbleibung deſſen darauff erkant werden ſolle, injungitur.

§. 14. Fit autem justificatio Appellationis tam quoad formalia, quam materialia, h. e. ipsa gravamina, propter quæ Appellatio interposita est.

§. 15. Sententia, quæ in Appellationis instantia fertur, prioris instantiæ sententiam aut decretum vel confirmat, vel corrigit, idque vel in totum, vel ex parte. Priori casu adjicitur clausula remissorialis, per quam causa ad judicem prioris instantiæ, ut ibi ulterius in ea procedatur, remittitur.

§. 16. Aliud remedium suspensivum in Saxonia usitatum est *Leuteratio*, quæ ab Appellatione in hoc differt, quod hæc causam ad superiorem Judicem devolvat, illa non æque.

Tit. XIV.

De JVRE FISCI.

§. 1.

JVs fisci habet regulariter Princeps; in Saxonia tamen quivis Magistratus, qui merum imperium habet, suo modo jure fisci gaudet.

§. 2. Jura fisci singularia recenset *Lauterbach. h. t. p. 730.*

Tit. XV.

De CAPTIVIS ET POSTLIMINIO REVERSVS, ET DE REDEMTIS AB HOSTIBVS.

CAptivitas Jure Romano captis diminutionem maximam inducit, hodie vero nihil libertati detrahit, unde fictiones illæ Juris postliminii & L. Corneliæ nullum usum habent.

Tit. XVI.

De RE MILITARI.

§. 1.

MIlitare regulariter nemo cogitur; quod olim secus erat. *l. 4. §. 10. h. t.*

§. 2. Jus militem legendi penes eum est, qui Majestate gaudet, vel Jus superioritatis territorialis habet.

§. 3.

§. 3. Militibus multa singularia Jura indulta sunt; sic licet ipsis Jus ignorare, condunt testamenta privilegiata, gaudent beneficio competentiæ, & si indebitum solverint, onus probandi non ipsis, sed adversario incumbit. *l. 25. §. 1. de Probat.*

Tit. XVII.

De

CASTRENSI PECVLIO.

VIde supra *Tit. de Pecul.*

Tit. XVIII.

De

VETERANIS.

VEterani dicuntur, qui impleto legitimo militiæ tempore ab eadem honeste dimissi sunt. Hi immunitatem habent ab omnibus oneribus personalibus, non etiam realibus; & iisdem fere privilegiis cum decurionibus olim usi sunt.

Lib. L. Tit. I.

AD MVNICIPALEM ET DE INCOLIS.

§. 1.

MVnicipes dicuntur, qui in inferioribus civitatibus bonorum suffragiorumque participes sunt.

§. 2. Acquiritur Jus municipii per assumtionem sive allectionem. Possunt autem assumi

omnes, qui non in specie prohibiti sunt, quales (1) hæretici, (2) banniti, (3) subditi aliorum Statuum, antequam a dominis prioribus dimissi sunt; acquisitum vero tollitur per resignationem bona fide factam, quæ regulariter nemini denegatur. Solet tamen plerisque in locis tali casu certa pecunia præstari, quæ detractionis nomine venit, Abzugs-Geld.

§. 3. Qui domicilium in civitate habent, non tamen Jus Civitatis, dicuntur incolæ. *l. 239. de V. S.*

Tit. II.

De

DECVRIONIBVS ET FILIIS EORVM.

DEcuriones dicuntur, qui in municipiis curiæ præsunt; qui hodie Senatores dicuntur, quod vocabulum olim nonnisi illis, qui Romæ essent, tribuebatur.

Tit. III.

De

ALBO SCRIBENDO.

DE hoc vide *l. 1. §. 1. l. 2. h. t.*

Tit.

Tit. IV.

De
MVNERIBVS ET HONORIBVS.

§. 1.

MVnus est, quod quis publica autoritate obire tenetur; estque vel personale, vel patrimoniale, vel mixtum.

§. 2. Munera personalia imponit etiam inferior Magistratus. Patrimonialia autem nonnisi ille, qui Majestatem vel superioritatem territorialem habet.

Tit. V. & VI.

De
VACATIONE ET EXCVSATIONE MVNERVM, ET DE JVRE IMMVNITATIS.

§. 1.

VAcationem a necessitate suscipiendi munera, concedit Princeps, pacto autem privatorum acquiri non potest, unde invalida est conventio, qua prædium oneribus obnoxium tanquam ab illis immune venditum est, salva tamen actione ad id, quod interest.

§. 2. Causas justas concedendæ immunitatis recensetet *Lauterb. h. t. p. 739.*

§. 3. Concessa autem immunitas a præstationibus publicis non pertinet ad casum extremæ necessitatis, qui semper exceptus esse intelligitur.

Tit. VII.

De LEGATIONIBVS.

§. 1.

JVre Civili etiam civitates municipales legatos mittunt, hodie vero tantum illi, qui Majestate & superioritate territoriali gaudent.

§. 2. Privilegia legatorum præcipua sunt, quod eorum personæ sanctæ habeantur, ipsis omnes sumtus, & quæcunque legationis nomine amiserunt, restituenda sint, & post reditum a reliquis muneribus per biennii spatium immunes sint.

Tit. VIII.

De ADMINISTRATIONE RERVM AD CIVITATEM PERTINENTIVM.

QVi rem civitatis pecuniariam administrat, de leve culpa tenetur, *l. 6. h. t.* non etiam de leviſſima; ratione doli autem in duplum obligatur, *l. ult. §. 4. h. t.* rationes, subscriptæ licet & expunctæ, vivente administratore, intra 20. annos retractari possunt, post mortem vero ejus

jus intra decem, *l. 13. de Diverſ. & temporal. præſcript.* Error calculi 30. annis urgeri poteſt.

Tit. IX.
De
DECRETIS AB ORDINE FACIENDIS.

SI ordo decurionum decretum facere velit, omnes convocari, & duæ tertiæ partes eorum præſentes eſſe debent; tunc enim ex pluralitate votorum fiunt decreta de omnibus illis, quæ ad utilitatem & neceſſitatem civitatis faciunt; iisdem omnia civitatis membra obligantur.

Tit. X.
De
OPERIBVS PVBLICIS.

CVratores publicorum operum, ſi debitam diligentiam non adhibuerint, rem vitioſam propriis ſumtibus reficere tenentur, atque ad id intra 15. annos compelli poſſunt.

§. 2. Si opus publicum commode fieri nequeat ſine deſtructione privatorum ædificiorum, horum demolitio Principis autoritate fieri poteſt, ſi modo privati indemnes ſerventur.

Tit. XI.
De
NVNDINIS.

§. 1.

NVndinæ sunt conventus publica autoritate mercatus gratia instituti; suntque vel hebdomadales, vel annales; hæ rursus vel minus solennes, vel solennes seu universales, quæ autoritate Imperatoria instituuntur, v.gr. Lipsienses.

§. 2. Præcipuum harum solennium nundinarum privilegium est, quod personæ & res eorum, qui mercatus gratia venerunt, non possint propter causam civilem detineri, ne quidem ob contractum, in ipsis nundinis celebratum. Vid. *l. un. C. h. t.*

Tit. XII.
De
POLLICITATIONIBVS.

§. 1.

POllicitatio est simplex offerentis promissio absque alterius acceptatione; fitque vel DEO, & dicitur votum, vel reipublicæ, & vocatur pollicitatio in specie sic dicta.

§. 2. Pollicitatio nullum quidem jus in re tribuit, promissorem tamen efficaciter obligat, quando ex justa causa facta, vel jamjam impleri cœpta est.

Tit. XIII.
De
EXTRAORDINARIIS COGNITIONIBVS, ET SI JVDEX LITEM SVAM FECISSE DICERETVR.

§. 1.

OLim apud Romanos Magistratus nonnisi de quibusdam causis extra ordinem ipse cognosce-

gnoscebat, hodie vero de omnibus causis ipse, non dato judice pedaneo, cognoscit. §. *ult. l. de Interd.*

§. 2. Si judex male judicet, litem suam facere dicitur, ejusdemque sententia contra jus in thesi lata ipso jure nulla est; sin autem contra jus in hypothesi seu partis lata sit, in rem judicatam transit, si intra decendium nullum remedium suspensivum contra eam interpositum fuerit.

§. 3. Si ex imperitia judex male judicet, datur læso adversus ipsum actio in factum ad id, quod judici æquum visum fuerit. *l. ult. h. t.*

Tit. XIV.

DE PROXENETICIS.

§. 1.

Proxeneticum est honorarium, quod Proxenetis denen Unterhändlern, pro ministerio præstito solvitur.

§. 2. Proxeneticum pro quovis negotio licito accipi potest, sordide tamen accipitur propter sponsalia aut sacerdotium.

Tit. XV.

DE CENSIBVS.

§. 1.

Census, germ. Steuerbuch, dicitur liber, in quo cives eorumque bona inscribuntur.

§. 2. Notandum est, quod censuales libri, die Erb-Register, Erb-Bücher, tunc demum plenam probandi vim habeant, si præsentibus & consentientibus subditis conditi sint? quamvis sine juramento.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Primus Numerus Librum, secundus Titulum, tertius Paragraphum, quartus denique paginam denotat.

A.

ABigeatus *quid sit?* XLVII. 14. *pag.* 387. *quo modo puniatur?* *ibid.*

Abolitio *quid?* XLVIII. 62. 409. *quotuplex sit?* *ibid.*

Acceptilatio *quid sit?* XLVI. 4. 1. 371. *quemnam effectum habeat?* XLVI. 4. 2. 371.

Accessio *quid?* XXII. 1. 5. 213. *quotuplex sit?* XLI. 1. 4. 326.

Actio *quid?* XLIV. 7. 7. 363. *quotuplex sit?* XLIV. 7. 8. 363. *quatenus in heredes transeat?* XLIV. 7. 9. 363. *seq. an alteri per alterum acquiri possit?* XLV. 1. 2. 364. *seq. a quibus emi & vendi possit?* XVIII. 4. 8. 167. *seq. Actio, quæ contra plures personas, diversæ jurisdictioni subjectas, competit, coram quo Judicio sit instituenda?* XI. 2. 2. 82. *Quænam actiones vendi possint, & quænam prohibeantur?* XVIII. 4. 9. *seq.* 168. *Quanto temporis spatio actiones civiles præscribantur?* XLIV. 3. 2. 357. *seq.*

Quan-

Quanto actiones Prætoriæ? XLIV. 3. 3. *seq.* 358. *Quanto actiones criminales sive accusationes?* XLIV. 3. 5. 358. *seq.*

Actio ad exhibendum *quid sit?* X. 4. 1. 78. *Unde oriatur?* X. 4. 2. 78. *circa quamnam res versetur?* X. 4. 3. 78. *an adhuc hodie sit in usu?* X. 4. 4. 79.

Actio ad palinodiam s. recantatoria *quamdiu duret?* XLVII. 10. 6. 383. *an cum actione æstimatoria cumulari possit? ibid. utrum infamet?* XLVII. 10. 8. 383.

Actio arborum furtim cæsarum *quid sit?* XLVII. 7. 1. 380.

Actio æstimatoria s. quanti minoris *quid sit?* XXI. 1. 3. 210. *quanto temporis spatio eidem præscribatur?* *ib.*

Actio commodati *quatenus cum actione L. Aquiliæ concurrat?* XIII. 6. 8. 112.

Actio communi dividundo *quid sit?* X. 3. 1. 77. *unde mixta dicatur?* X. 3. 2. 77. *cuinam detur?* X. 3. 3. 77. *quamdiu duret, & utrum sæpius instituí possit?* X. 3. 5. 78.

Actio conducti *quid sit?* XIX. 2. 16. 189.

Actio confessoria *quid sit?* VIII. 5. 2. 63. *quotuplex sit?* VIII. 5. 3. 63. unde oriatur? *ibid.*

Actio de albo corrupto *quid sit?* II. 1. 5. 12.

Actio de calumniatoribus *quid?* III. 6. 2. 22. *An adhuc hodie sit in usu?* *ibid.*

Actio de constituta pecunia *quid sit?* XIII. 5. 6. 110. *An veterem actionem tollat?* *ibid.*

Actio

Actio de dejectis vel effusis *quid sit?* IX. 3. 1. 71. *unde oriatur? ibid. & §. 2. ead. pag. ad quid detur?* IX. 3. 3. *seq.* 71. *quamdiu duret? ibid.*
Actio de eo, quod certo loco *ex quibus negotiis detur?* XIII. 4. 1. 108. *seq. quonam in loco sit instituenda?* XIII. 4. 2. 109.
Actio de filiatione *quid sit?* XXV. 3. 2. 241. *quid in hac actione sit probandum, & quis probare debeat?* XXV. 3. 3. 241. *seq.*
Actio de in rem verso *quando competat?* XV. 3. 1. 135.
Actio de partu agnoscendo *quando locum habeat?* XXV. 3. 1. 241. *Quid in hac actione sit probandum, & cuinam probatio incumbat?* XXV. 3. 3. 241. *seq.*
Actio de pauperie *ad quid detur?* IX. 1. 2. 66. *contra quem competat?* IX. 1. 3. 66. *Quænam requirantur ad hanc actionem producendam?* IX. 1. 2. 66.
Actio de peculio *quid sit?* XV. 1. 8. 133. *an adhuc hodie usu servetur? ibid. quamdiu duret?* XV. 2. *pag.* 134.
Actio depositi *quotuplex sit?* XVI. 3. 5. 146. *seq. Quid sit directa? ibid. utrum contra successores singulares detur?* XVI. 3. 6. 147. *Quid sit contraria?* XVI. 3. 10. 149.
Actio de posito vel suspenso *quid sit?* IX. 3. 5. 72.
Actio de rationibus distrahendis *quando & ad quid competat?* XXVII. 3. 3. 257.
Actio de receptis *unde oriatur?* IV. 9. 2. 29. *ad quid*

quid detur? IV. 9. 4. 30. *Quibus modis cesset?* IV. 9. 7. 30. *seq.*

Actio de sepulchro violato *quid sit?* XXVII. 12. 1. 386.

Actio de servo corrupto *quid?* XI. 3. 1. 83. *an adhuc hodie usum habeat?* XI. 3. 2. 83.

Actio de tigno juncto *quando & ad quid competat?* XLVII. 3. 1. *seq.* 378. *cum quibus actionibus concurrat?* XLVII. 3. 3. 378.

Actio doli *quamdiu duret?* IV. 3. 3. 25. *Si eidem jam præscriptum, qualis actio ejus loco adhuc instituí possit?* *ibid.*

Actio emti *quando instituí possit?* XIX. 1. 2. 178. *Ad quid detur?* XIX. 1. 4. 179.

Actio ex Edicto de alienatione judicii mutandi causa facta, *quid sit?* IV. 7. 1. 28.

Actio exercitoria *an a principali & directa differat?* XIV. 1. 1. 119. *A quonam sit introducta?* XIV. 1. 2. 119.

Actio ex L. Cornelia ad injurias vindicandas *quid sit?* XLVII. 10. 9. 384.

Actio ex stipulatu *an hodie differat a condictione ex moribus?* XLV. 1. 3. 365.

Actio ex testamento *unde oriatur?* XXX. 1. 8. 282.

Actio familiæ erciscundæ *quid sit?* X. 2. 1. 74. *unde mixta dicatur? ibid. adversus quos detur?* X. 2. 3. 74. *seq. ad quid competat?* X. 2. 4. 75. *quamdiu duret?* X. 2. 9. 76. *Utrum is, qui hac actione agit, alterum coheredem agnoscat?* X. 2. 5. 75. *seq.*

Actio

Actio finium regundorum *unde oriatur?* X. 1. 2 73. *utrum sit bonæ fidei, an stricti juris? ibid. circa quænam prædia versetur?* X. 1. 4. 73. *quamdiu duret?* X. 1. 7. 74. *Quid actor in hac actione probare teneatur?* X. 1. 5. 74.

Actio funeraria *quatenus etiam contra maritum detur?* XI. 7. 6. 90. *coram quo judicio suo instituenda?* XI. 7. 8. 90. *Quinam sumtus in hanc actionem veniant?* XI. 7. 7. 90.

Actio furti *ad quid detur?* XLVII. 2. 5. 376.

Actio hypothecaria *quid?* XX. 1. 6. 199. *quotuplex sit? ibid. quomodo differat ab interdicto Salviano?* XLIII. 33. *pag.* 355. *Quid in hac actione ratione formulæ petendi sit observandum?* XX. 1. 7. 199. *Quanto temporis spatio eidem præscribatur?* XX. 1. 9. 200.

Actio in factum *quid sit?* XIX. 5. 6. 196.

Actio in factum ex Edicto: Nautæ, Caupones, Stabularii, *quid sit?* IV. 9. 5. 30. *unde oriatur?* IV. 9. 6. 30. *quibus modis cesset?* IV. 9. 7. 30. *seq.*

Actio jurisjurandi *an adhuc hodie locum inveniat?* XII. 2. 6. 96.

Actio L. Aquiliæ *quotuplex sit?* IX. 2. 9. 70. *utrum sit rei persecutoria, an pœnalis mixta?* IX. 2. 3. 69. *cuinam & adversus quos detur?* IX. 2. 8. 70. *quatenus cum actione commodati concurrat?* XIII. 6. 8. 112. *Quænam requirantur ad hanc actionem producendam?* IX. 2. 2. 67. *seq. Quid in hac actione sit probandum?* IX. 2. 10. 70.

Actio

Actio negatoria *quid sit*? VIII. 5. 7. 64. *Quid in hac actione actori sit observandum*? VIII. 5. 9. *seq.* 64. *seq.*
Actio noxalis *quid sit*? IX. 4. *pag.* 72. *an adhuc hodie usu servetur*? *ibid.*
Actio Pauliana *unde oriatur*? XLII. 8. 1. 343. *quando locum habeat*? XLII. 8. 2. 343. *quamdiu duret*? XLII. 8. 4. 344.
Actio pignoratitia *unde oriatur*? XIII. 7. 5. 118. *Quando eidem præscribatur*? *ibid.*
Actio pluviæ arcendæ *quando & ad quid competat*? XXXIX. 3. 1. 320.
Actio præscriptis verbis *unde ita dicatur*? XIX. 3. 4. 192. *quid sit*? XIX. 5. 5. 196.
Actio præscriptis verbis æstimatoria *quid sit*? XIX. 3. 9. 193.
Actio protutelæ *quotuplex sit*? XXVII. 5. *p.* 258.
Actio Publiciana *unde ita dicatur*? VI. 2. 1. 46. *quid sit*? VI. 2. 2. 46. *unde oriatur*? VI. 2. 3. 46. *an ob malam fidem supervenientem excludatur*? VI. 2. 4. 46. *utrum vero domino & contra eum competat*? VI. 2. 5. *seq.* 47. *Quomodo in hac actione Judex circa fructus procedere debeat*? VI. 2. 7. 47.
Actio quod jussu *quid sit*? XV. 4. 1. 135. *Quomodo cum actione de peculio, & de in rem verso concurrat*? XV. 4. 2. 136.
Actio quod falso tutore *quid sit*? XXVII. 6. 2. 259. *utrum contra heredes detur*? *ibid.*
Actio quod metus causa *ad quid detur*? IV. 2. 2. 24. *An adhuc hodie in usu sit*? *ibid.*

Actio receptitia *contra quos olim dabatur?* XIII. §. 7. 110.
Actio redhibitoria *quid sit?* XXI. 1. 2. 209. *seq. Quanto temporis spatio eidem præscribatur?* *ibid.*
Actio si ager vectigalis *quid sit?* VI. 3. 4. 48.
